COMMENTARII

in Exercitia Spiritualia

S. P. N. IGNATII

COMMENTARII

IN

Exercitia Spiritualia

S. P. N. IGNATII

CONCIONATORIBUS ETIAM ACCOMMODATI

AUCTORE

P. Antonio Denis, S. J.

TOMUS TERTIUS

ALMA COLLEGE
060.32
LIBRARY
D423
Alma, Ca

MECHLINIAE
EXCUDEBANT L. & A. GODENNE
—
1892

6348

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/commentariiinexe0003pant

SECUNDA CONTINUATUR

HEBDOMADA

De tribus modis humilitatis

Duabus notis modo explicatis tertiam subjicit S. Pater, quae cum ad tres humilitatis modos, de quibus jam agendum est, pertineat, eam initio hujus tomi tertii transcribimus. Sic autem sonat :

Tertia (nota). *Antequam quis ingrediatur in electiones, ut afficiatur ad veram Christi Domini nostri doctrinam, multum juvat considerare et advertere ad tres sequentes modos* (*s. species, ut habet antiqua versio ms) humilitatis, et considerando eos identidem aliquibus temporum spatiis per totam diem, et item faciendo colloquia prout infra dicetur.*

En quomodo sub simplici notae forma et sine titulo humilis Ignatius celeberrimum et a se cum mirabili Spiritus Sancti lumine excogitatum et inventum de humilitate documentum enunciat. Multi de gradibus et speciebus humilitatis scripsere; sed nihil in iis invenies, si praesertim eorum modorum cum scopo in integris Exercitiis a S. P. intento

conspirationem respicias, quod ignatiano conceptui assimilari possit. Nova hic sunt omnia et ad finem Exercitiorum, ad perfectum Dei servitium et ad sublimissimam Christi imitationem accommodata. Hic culmen perfectionis, quam S. Fundator ab initio usque ad finem Exercitiorum suorum prosequitur, attingis, scilicet cum omnimodo Divinae Majestatis servitio scientiam et stultitiam crucis.

Quam autem modi illi humilitatis eximia sint ad electiones praeparatio, inde patet quod ad veram Christi doctrinam, scil., ad ardua quaecumque pro amore Christi amplectenda, animam disponant. Jam vero qui ad summa paratus est, in facilioribus non deficiet. Cum autem, ut saepius jam diximus, integra Exercitia ad id conspirent, ut ii qui idonei sunt, vitam religiosam et apostolicam sectentur, nulla re post contemplationem mysteriorum Christi, ad id magis movebuntur, quam tribus a S. Ignatio excogitatis modis humilitatis.

Antequam quis ingrediatur in electiones; non dicit *S. P. in electionem,* tum quia multi status sunt eligibiles, tum quia in eodem statuum genere species multae esse possunt. Sic qui renunciare profanis occupationibus secum statuit, vel saecularem clerum eligere poterit,

vel regularem; si regularem eligit, considerandum ei erit utrum praecipue contemplativum, an praecipue activum, an mixtum, et qualem in hoc genere Ordinem amplecti debeat.

Ut afficiatur ad veram Christi Domini nostri doctrinam; non dicit, ut conformiter ad veram doctrinam eligat, sed ut *afficiatur;* nam de electione ipsa nondum agitur, sed de dispositione cordis ac voluntatis ad eligendum juxta Christi doctrinam; si enim, v. g., exercitans ad paupertatem et abjectionem Christi Jesu affectu inclinet, quasi sponte, modo ad id vocetur, ad vitam religiosam et apostolicam se convertet. De *doctrina* Christi loquitur S. P. quia principiis rationis et fidei super omnia vir ille rationis innitebatur. Sed nosse Christi doctrinam ad magna patranda non sufficit, si convictioni affectus ad veritatem cum ratione non conspiret; ideo vult nos corde ad doctrinam affici, praesertim circa amorem paupertatis et opprobriorum. Et sane sicut modi illi humilitatis ab ipsa electione sunt distincti, ita nec actionem spectat hic S. P., sed internae affectionis habitum.

Non ut meditationis materiam modos humilitatis ponit S. P., quasi unum essent ex consuetis exercitiis, sed exercitanti suadet ut saepius, vel potius assidue per istam diem

illos animo et corde revolvat, neque revolvat solum, sed supremum illud donum, scilicet perfectam humilitatem, iterum atque iterum, colloquia de binariis instituendo, a Deo obtineat.

Jam quaeramus cur S. Fundator non *gradus* humilitatis tres illas animae dispositiones vocet, sed *modos* humilitatis. *Gradus* quidem illi modi sunt, sed hoc sensu tantum, quod in genere perfectionis perfectior sit secundus modus quam primus, et tertius quam secundus. At si propriam singulorum trium modorum essentiam spectes, graduum appellatio nullatenus amplius convenit. In omnibus quidem modis humilitas est, ast non ejusdem speciei; primus enim et secundus in ordine *praecepti, obligationis* et *obedientiae* consistunt; tertius vero in ordine merae *charitatis* est, absque praecepto, absque obligatione, absque obedientia. Non unam hic, ut ita dicam, scalam quae tres gradus habeat ponit S. P., sed duas; quarum altera duos gradus habet, altera autem unum tantum in alio ordine, eumque altissimum et supremum, ad quem avolet exercitans; secundus perfectionem habet obedientiae, tertius perfectionem et apicem charitatis. Ubi autem S. P. animam ad culmen scalae obedientiae per primum et secundum gradum

adduxit, eam provocat et accendit, ut inde ad apices charitatis enitatur. *Quis dabit mihi pennas sicut columbae, et volabo, et requiescam* (Ps. 54, 7.)? Et bene quidem ita Ignatius, qui sciebat, neminem, nisi ab humilitate et perfecta obedientia proficiscatur, posse ad culmen charitatis pervenire.

Ex his patet mentem S. Ignatii non esse assecutos eos, qui de ejus tribus humilitatis *gradibus* dixerunt, cum tres illi habitus animae nullo modo quoad speciem et ordinem inter se conveniant; hinc etiam patet vocibus ipsis S. Fundatoris semper esse adhaerendum, utpote quae ab eo cum magno delectu et magna discretione usurpentur, propriaeque rerum essentiae respondeant.

Duo priores modi in omnibus Christianis esse possunt et debent, tertius autem consilii est, et ad vitam religiosam, scilicet ad *statum* perfectionis propellit. Duo priores de praecepto sunt, tertius de consilio. *Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo, et veni, sequere me* (MATTH. 10. 21). Non tamen inde conjice extra religionis statum tertium humilitatis modum obtineri non posse; siquidem plurimi Sancti viventes in saeculo, ut S. Labre, S. Franc. S., et multi alii hominum

num humillimi fuere, et e contra in religione reperiantur qui multum absunt ut prodigia sint humilitatis; sed hi quales fuissent, si in saeculo vitam egissent? Ast status religiosus, etiamsi per se humilitatem non continet ac perfectionem, viam tamen sternit ad humilitatem et perfectionem. Ideo Christus Dominus ad eum homines suadendo invitat.

Primus humilitatis modus

Primus Modus humilitatis, ait S. P., *est necessarius ad salutem aeternam, scilicet, quod ita me demittam, et ita me humiliem, quantum possim, ut in omnibus obediam legi Dei Domini nostri, adeo ut, etiamsi me constituerent Dominum omnium rerum creatarum in hoc mundo, vel pro (conservanda) propria vita temporali, non veniam (non inducar) in deliberationem transgrediendi mandatum aliquod, sive divinum, sive humanum, quod me obliget sub peccato mortali.*

Primae hebdomadae respondent duo primi humilitatis modi, tertius autem secundae, cujus eximius est fructus in tertia hebdomada magis ac magis perficiendus.

Prior uterque modus de praecepto est, eique sanctio, vel aeternae vel temporalis poenae pro gravitate aut levitate culpae, annexa est.

Semper sibi constans S. P., et in uno semper versatus, ad unum omnia dirigit, ad servitium et majorem Dei gloriam; et sicut unus est quoad finem, unus etiam est in ratione finis assequendi. Ratio autem ei una est, humilitas; sine humilitate in via spiritus nihil fit; cum humilitate autem, non ad necessaria tantum, sed et ad summe perfecta certissima et tutissima via aperitur, ut in fine meditationis de duobus Vexillis declaratur. Proinde de humilitate, quae vera et practica est sapientia, jure ac merito dici debet : *Omnia bona venerunt mihi pariter cum illa* (Sap. 8. 11). Humilitate Ignatius ipse ad admirabilem peccati dolorem et horrorem pervenit; humilitatem fundamentum et robur sui Instituti esse voluit : humilitati obtinendae, ac per eam, ardentissimo zelo gloriae Dei inflammando Exercitia sua spiritualia consecravit. Unum hoc a Spiritu Sancto ductus in sua manresana specu quaesivisse; unum hoc in vita sua exercuisse; unum hoc filios suos docuisse videtur. Haec ejus fuit sapientia. *Similabo eum viro sapienti qui aedificavit domum suam supra firmam petram*. Et in hoc quidem intellexisse se Christum ostendit, cujus vitam paucissimis verbis ita Paulus perstrinxit; *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem,*

mortem autem crucis : Humiliando se nos Jesus redemit : humiliationis autem ejus forma ac expressa nota fuit obedientia. Ita S. P., gloriosissimus ille Jesu imitator ac socius, humilitatem fundamentum et animam Societatis suae esse voluit, notam autem illius characteristicam ex humilitate sicut florem e radice prodeuntem, obedientiam. Nullibi forte clarius ac profundius quam in tribus humilitatis modis hanc humilitatem inter et obedientiam essentialem conjunctionem et parentelam expressam invenies. Nexum illum innuit Doctor Angelicus, d. g. 161 a 1. cum dixit : « Humi- » litas secundum quod est virtus specialis, » proprie respicit subjectionem hominis ad » Deum, propter quem etiam aliis humilian- » dus se subjicit. »

Nonnulli non multum absunt ut humilitatem propriam piis tantum animabus virtutem existiment, quasi divino servitio et saluti non esset essentialis ac necessaria. Contrarium omnino S. P. affirmat, cum de primo humilitatis modo dicit : *Primus Modus humilitatis est necessarius ad salutem aeternam;* atque in hoc cum Christo ipso consentit, qui dixit : *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum* (Matt. 18, 3).

In quo ergo primus humilitatis modus con-

sistit? In eo *quod ita me demittam, et ita me humiliem, quantum possim, ut in omnibus obediam legi Domini nostri*. Adverte quantum humilitati insistat : *ita me demittam :* ex quo enim per peccatum originale superbiae infusum nobis virus est, ad nos ultra id quod sumus, extollendos propendemus, cum tamen ex nobis non nisi nihilum, et quod infinite pejus est, peccatum habeamus; necesse igitur ad obedientiam est, ut nos ipsos ab ementita illa altitudine, vi ac pudore voluntario ad veram nostram conditionem *demittamus;* neque solum descendendo demittamus, sed ad humum usque, qui noster locus est, descendamus : *et ita me humiliem*. Ad hanc humiliationem ab ipsomet Exercitiorum Fundamento nos disposuit S. P., comparando nos, creaturas cum Creatore ac Domino Deo nostro, videlicet nihilum cum infinito. Sed quanto magis illud per peccatorum meditationem effecit! Ibi enim coram putido peccatorum nostrorum abysso confusionem ac pudorem petiimus, ut conditionem sine qua non, ad dolendum de peccatis et ad concipiendum propositum non peccandi de cetero : unde apparet primum modum humilitatis fructum esse necessarium primae hebdomadae : quasi enim unum est cum proposito in ea hebdomada tanto labore elicito.

Eousque autem me demittam atque humiliem vult S. P., ut *etiamsi me constituerent dominum omnium rerum creatarum in hoc mundo, vel pro (conservanda) vita temporali, non veniam in deliberationem transgrediendi mandatum aliquod, sive divinum, sive humanum, quod me obliget sub peccato mortali.*

Eligit S. P. duos supremos casus, quorum in ordine temporali alter summum bonum, id est, possessionem omnium rerum creatarum hujus mundi, quo nihil majus in hoc ordine esse potest, alter summum malum, mortem videlicet quae cum amissione omnium bonorum temporalium vitam ipsam perimit, homini exhibet, ita ut exercitans, si non obstantibus bonis illis vel morte non inclinet ad peccatum mortale, a fortiori vel bonis vel malis minoris momenti moveri non possit. Nota non agi hoc loco de peccato hic et nunc committendo, sed de tali interna dispositione, ut posito casu quocumque, homo ne in ullam quidem deliberationem veniat peccandi mortaliter; nam si quis voluntarie in talem veram deliberationem veniret, eo ipso jam esset in peccato mortali, et dispositio ejus impossibilem redderet peccatorum absolutionem. Hinc patet quam sit ad mortalia peccata vitanda efficax ille Dei ejusque infinitae Majestatis ac Bonitatis sen-

sus, cum sensu profundissimo nostrae erga Deum dependentiae, quem utrumque sensum in Fundamento et in prima hebdomada S. P. in exercitante omni ope atque opera excitare ac promovere studuit. Ex his enim sanctus et castus enascitur timor Domini. *Deum time, et mandata ejus observa : hoc est enim omnis homo* (Eccle, 12, 13). Unde enim omnia peccata, nisi ex eo quod divinus ille timor non dominetur concupiscentiis nostris?

Ex dictis satis jam apparet, quanti pretii, quanti meriti apud Deum, quantaeque difficultatis modus ille sit, etsi infimus. Et primo quidem, hominem in gratia sanctificante constituit eumque filium Dei ac caelorum facit heredem. Secundo, magnae ei gloriae coronam, propter ingentes, quas saepe sustinendas habet, difficultates ac pugnas demeretur. An enim nullius, v. g. difficultatis est, ac sine heroica etiam fortitudine possibile, inter terribilia certamina intactam servare castitatem, occasiones peccati quae cor vinciunt fugere et abrumpere, condonare inimicis eosque ex corde diligere, duellum cum probro recusare, ex honoratiore loco excidere, aut oblatis divitiis renunciare, irrisiones, opprobria et persecutiones perpeti? Quinimmo et paratum animum ad martyrium, etiam crudelissimum,

subeundum modus hic humilitatis omnino implicat. Et quia rem ita se habere novit Ignatius, dicit : ita me humiliem, non quantum possum, sed *quantum possim,* id est quasi ultra praesentes animae vires, fiduciam reponendo in Deo, qui, casu adveniente, meas sua gratia vires augebit, ut possim sustinere. Quis enim ita sibi confidat, ut hic et nunc, non praesente, sed per imaginem supposita crudelissimi martyrii sustinendi occasione vim ad id habere se existimet? Non nunc, sed in ipsa occasione gratiam dabit Dominus ad vincendum, modo eam petamus, et in *quantum possimus,* nos demittamus et humiliemus. *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum ut possitis sustinere* (1. Cor. 10, 13). Ut autem hoc fiat, requiritur in homine voluntaria nec modica humiliatio, et profundus erga Deum dependentiae sensus. Audi S. Bernardum de durissimo castitatis certamine loquentem : Ut *castitas detur humilitas meretur.*

Unde impii et fidem amittunt atque in omnis generis flagitia praecipites aguntur, nisi ex eo quod superbia inflati et obcaecati, nec se, nec Deum norunt? *O Deus,* exclamabat post conversionem suam Ignatius, *si te homines nossent, nunquam te offenderent!*

Quot miseri denique, postquam eis non possessio totius mundi, sed aliquot millia nummorum, aut etiam multo pauciora proposita sunt, Dei servitium et suam salutem abjecere, immo et in castra hostium Dei, Judae aemulatores, transiere!

Secundus humilitatis modus

Secunda, ait S. P., *est perfectior humilitas quam prima; scilicet, si ego in tali me (constitutum) puncto inveniam, ut non velim, neque afficiar magis ad habendum divitias, quam paupertatem, ad cupiendum honorem quam ignominiam, ad desiderandam vitam longam quam brevem, ubi aequale fuerit servitium Dei Domini nostri, et salus animae meae (aequalis) : itemque, ut nec pro omnibus rebus creatis, neque eo quod mihi vitam auferrent, in deliberationem veniam committendi aliquod veniale peccatum.*

Tres humilitatis modi Fundamento Exercitiorum respondent atque in eo continentur. In Fundamento enim tres sunt gradus : primus est servire Deo, ita ut homo salvet animam suam; ad id autem requiritur ut agnoscat Deum ut Creatorem suum ac Dominum absolutum; dein ut eum laudet, id est, pro infinita ejus bonitate amet super omnia, tandem

ut eum ac voluntatem ejus revereatur. Inde sponte fluet, quod homo nolit gravem Deo, per mortalem mandatorum ejus transgressionem, injuriam inferre. Et hic est primus humilitatis modus.

Secundus gradus in Fundamento etiam est, cum praescribitur ut homo creaturis utatur, vel ab iis se expediat in tantum in quantum ad finem juvant, vel eum impediunt. Servitium istud Dei multo latius patet et multo perfectius est illo quod ad meram salutem aeternam requiritur! Qui enim ita creaturis, juxta finem earum in tantum in quantum, nec plus nec minus, utetur, omnem inordinationem vitabit, et per consequens, non solum mortale peccatum non committet, sed, nec ullum veniale. Ast ad hanc perfectionem nequaquam pertinget quis, nisi usque ad ipsam animae ejus medullam sensus Dei penetraverit, ita ut nil amplius in vita sua sibi proponat quam servire in omnibus Deo, et consequenter ad cetera omnia omnino sit indifferens. Quid enim ex creatis adhuc practice afficiet eum, qui unum aestimat, unum amat, unum quaerit et prosequitur, servire et placere Deo? Qui talis est, non sibi jam vivit, sed Deo, et secundum habet humilitatis modum.

Tertius gradus in Fundamento pariter est, et in eo consistit, ut homo non solum ad omnia creata sit indifferens ac propterea tutus a peccato etiam veniali, sed ut ad perfecta quaecumque se extendens, unice eligat et exoptet quae magis eum ad perfectionem finis ob quem creatus est, conducant. Hic tertius modus, qui in perfecta cum Christo, quantum fieri potest, assimilatione consistit, in ultimo Fundamenti commate implicite continetur : *Unice desiderantes et eligentes ea, quae* MAGIS *nobis* CONDUCANT *ad finem, ob quem creati sumus.*

Ex his intelligitur cur S. P. secundum humilitatis modum, non a dispositione ad vitanda peccata venialia, quod priori modo videbatur respondere, incipiat, sed ab indifferentia.

Indifferentia ita est ad vitanda omnia venialia absoluta conditio, ut sine illa secundus modus humilitatis, scilicet vitare venialia sicut vitantur mortalia, sit prorsus impossibilis; et revera ne cogitare quidem homo de gradu illo sine praedicta illa indifferentia rationabiliter potest. Tolle enim illam indifferentiam, et continua inordinatio orietur, quae a terra pulverem peccatorum venialium sustollet, et animam multimodis inficiet.

Ut indifferentiam planius et perfectius S. P.

definiat, alludit ad bilancem, in qua unicum punctum est in quo perfectum aequilibrium obtinetur. In illo igitur puncto consistit ille, quem S. Ignatius vere indifferentem habet; ita ut ne minimum quidem in unam vel alteram partem inclinet : *in tali me puncto inveniam*. Aequilibrium autem animae aequilibrio divini servitii respondet; divinum enim servitium in utraque parte bilancis, aequalis omnino est ponderis; hinc fit ut si minimum quid ponderis divini servitii in unam partem superaddatur, illico, cessante aequilibrio, voluntas in illam partem inclinet : *Ubi aequale fuerit servitium Dei Domini nostri et salus animae meae*. Eodem igitur gradu, ut vidimus, Dei servitium et salus animae incedunt. Nota hic quomodo iterum per ipsa nomina *Dei Domini nostri* argumenta innuat S. P., quibus ad Deo serviendum impellamur; nota etiam salutem non eo sensu esse hic accipiendam, quo simpliciter damnationi opponitur, sed quatenus in ipsa caelesti gloria varios gradus supponit. Agitur enim hic de peccatis venialibus, quae aeternam damnationem non inducunt.

Qui secundum humilitatis modum vere est adeptus, is merito et justus et sanctus appellandus est. Qua enim ex ratione sanctitas ei denegaretur, qui ad tantam perfectionem in

divino servitio pervenit, *ut nec pro omnibus creatis, neque eo quod ei vitam auferrent, in deliberationem veniat committendi aliquod veniale peccatum?* In quo enim charitas, quae vinculum est omnis perfectionis et ipsa sanctitas, consistit? Audi ipsum Jesum : *Qui habet mandata mea, et servat ea : ille est, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo : et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum* (Jo. 14, 21). Quantum inde solatium iis, qui ab omni peccato et ab ipsa specie peccati abhorrent, quamvis forte affectuosum erga Deum amorem nunquam sentiant!

Neque dicat quis posse talibus deesse virtutes. Quantam enim diligentiam et generositatem in divino servitio eos habere oportet, ut nec pro toto mundo, nec pro servanda vita, veniant in deliberationem offendendi etiam levissime Deum ac Dominum suum? Quanta eos ad id omnium appetituum et quarumcumque inordinationum mortificatione donatos esse oportet! In iis, vetere homine peccati interempto, solus vivit, triumphat et regnat novus homo, similis Christo, qui aiebat : *Quis ex vobis arguet me de peccato?* (Jo. XVI, 8).

Felix ergo, immo felicissimus ille, qui ad hunc puritatis gradum pervenit; necnon felix ille qui ad eum toto corde contendit. *Beati*

mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Sed ad haec excelsa sola ducit humilitas. *Qui se humiliat, exaltabitur.*

Tertius humilitatis modus

Tertia est humilitas, ait S. P., *perfectissima, scilicet, quando, includendo primam et secundam, ubi aequalis fuerit laus et gloria divinae Majestatis, ad imitandum (magis) Christum Dominum nostrum, utque ei magis actu similis fiam, volo et eligo magis paupertatem cum Christo paupere, quam divitias; opprobria cum Christo pleno opprobriis, quam honores; et magis desidero aestimari vanus (insipiens, inutilis) et stultus pro Christo, qui prior habitus est pro tali, quam (aestimari) sapiens ac prudens in hoc mundo.*

Si singulorum istorum humilitatis modorum seorsim acceptorum materiam et praxim consideremus, nihil in se continent quod passim in auctoribus non inveniatur. Quis enim ignorat ad salutem esse necessarium ut pro nulla re hujus mundi nemo velit peccatum mortale committere? Quis ignorat, idem, quamvis non ex necessitate ad salutem, de peccato veniali esse dicendum? Quis ignorat amorem Christi suadere ut cum Christo amemus opprobria? Sed hoc Ignatii proprium est, quod tria illa, ex una radice educat, humili-

tate; hoc proprium Ignatii est, quod non simpliciter ex obedientia Deo debita, sed ex humilitate observantiam, non gravium tantum, sed et leviorum mandatorum deducat; hoc proprium Ignatii est, quod consummatam ipsam charitatem filiam faciat humilitatis; hoc proprium Ignatii est, quod per modos humilitatis mire ad vitam pauperem et apostolicam, qui scopus integrorum est Exercitiorum, praeparet ac disponat; hoc proprium Ignatii est, quod modus ille considerandi humilitatem, cum ceteris omnibus praecedentibus exercitiis quadret et connectatur quam perfectissime; ita ut omnia quae eo usque facta sunt, per admirabilem unitatem, in tres modos humilitatis, quasi in finem suum perfectum desinant et compleantur.

Quo enim omnia in Exercitiis spiritualibus conspirant, nisi ut ad perfectum Dei servitium ac laudem nos effingant, donec formetur in nobis Christus? Sublatis enim in prima hebdomada peccatorum atque inordinationum impedimentis, coepit in nobis, per contemplationem Mysteriorum, concipi spiritus et vita Jesu : amor autem Jesu in anima nostra semel accensus nova incrementa novasque flammas indesinenter accepit. Jam vero amor aut similes invenit aut facit. Porro eadem illa,

paupertas scilicet et humilitas Verbi pro nobis incarnati, quae amorem Christi excitaverunt, pariter et imitationis ejus materia sunt. Si Dominus meus, cum in forma Dei esset, ex amore exinanivit semetipsum, formam servi accipiens; si ut homo, ex amore mei humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, an condignum ei amorem reddam, si, pauperem eum videns et saturatum opprobriis, non ad eum descendam, et cum eo pauper et vilis esse nolim? Eo igitur S. P. nos adducere voluit, ut pauperis et humilis Jesu vivae essemus imagines; in tertio autem humilitatis modo culmen perfectionis, quod ab initio S. P. N. intendit, tandem attingimus.

Nil praeterea ad electionem quam S. P. in Exercitiis integris intendit, scilicet ad electionem, si Deus ad id vocet, vitae religiosae atque apostolicae, potest efficacius adjuvare. Qui enim tertium hunc humilitatis modum habuerit, ad talem vitam non anhelare non poterit. Ideo S. P. in praeambulo ad tres modos humilitatis nos sic praemonuit : *Antequam quis ingrediatur in electiones, ut afficiatur ad veram Christi Domini nostri doctrinam,* MULTUM JUVAT CONSIDERARE ET ADVERTERE *ad tres sequentes modos humilitatis.*

In prioribus duobus modis concurrebant, ex parte Dei praeceptum obligans, ex parte vero hominis obedientia, tum ex timore, tum ex amore, tum ex proprii emolumenti desiderio. In tertio autem, nec praeceptum, nec obedientia, nec timor, nec proprium, nec etiam ipsius Dei emolumentum adsunt, sed solus, isque purissimus ac vehemens amor, quo ad supremum aureae scalae charitatis, anima evehitur. Ideo vocatur illa humilitas *perfectissima*.

Ut absolute praerequisitam conditionem ponit S. Ignatius, acquisitam *primam et secundam* humilitatem : Etenim antequam quis de supererogatoriis cogitet, primum obligationibus suis satisfaciat necesse est : nec ad altissimum divini amoris gradum contendere potest, qui non a voluntaria Dei offensione abhorreat. Hinc sapienter ita nos admonet R. P. Roothaan : « Eos porro, qui ad praeclaram hanc humilitatem perduci vere desiderant, meminisse necesse est, tertium hunc modum supponere primum et secundum, ut S. P. N. clare enuntiat, ne qui, absque serio studio assequendi et inviolabiliter servandi primum et secundum, ad tertium aspiret, vel potius adspirare sibi videatur, vane sibi blandiatur, seque ipse illudat. »

Ubi aequalis fuerit laus et gloria Divinae Majestatis; non addit hic S. P. : *et aequalis salus animae meae,* quia de amore purissimo agitur, in quo homo sui penitus oblitus solam Dei gloriam intendet. In verbis autem modo citatis tota jacet hujus modi humilitatis explicandi difficultas. Non enim satis apparere videtur quomodo hujus modi humilitatis electio gloriae Dei incrementum non addat. Noster ipse Suarez, vir ille doctissimus et tanta veneratione dignus, difficultatem sensit. Sic enim ad dubium nonum c. v. de Exerc. Spir. ait : « Res-
» pondetur illud genus humilitatis esse valde
» conforme modo loquendi, et exemplis Sanc-
» torum; nam conformitatem ad Christum
» putant esse sufficientem rationem amandi
» omnem abjectionem et humilitatis modum,
» juxta illud Petri : *Christus passus est pro no-*
» *bis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini*
» *vestigia ejus* (I. c. 2)... Fateor tamen ab hoc
» motivo nunquam separabilem majorem Dei
» gloriam, et majorem fructum gratiae et per-
» fectionis spiritualis, ceteris paribus. Unde
» idem Petrus c. IV subdit : *Communicantes*
» *Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione*
» *gloriae ejus gaudeatis exsultantes;* nunquam er-
» go hic fructus separatur ab illa communi-
» catione, si cetera sint paria. Et ratio est

» clara, quia in eo motivo includitur major » amor et major reverentia ad Christum Do- » minum. Et praeterea, in eligenda majori » temporalium rerum abjectione (etiamsi in » aliis sit aequalitas) in hoc semper est exces- » sus, quod illa via est securior, et aptior ad » magis merendum, vel saltem magis satisfa- » ciendum coram Deo, vel pro nobis vel pro » proximis. In quo etiam consideratur quae- » dam major similitudo Christi. » Sensit igi- tur Suarez difficultatem eamque insolubilem declaravit, si simplex actus eligendi conside- retur, sicut revera ipse considerat. Argumenta autem ejus in hoc casu tam stringentia sunt, ut revinci nullatenus possint, et inde neces- sario sequatur aequalitatem divini servitii in eligenda vel non eligenda paupertate et ab- jectione esse de facto impossibilem.

Cum haec ita sint, et tamen de vere ae- quali gloria S. P. loquatur, excogitat P. Sua- rez modum, quo omnia concilientur inter se, nimirum abstractionem. Sic enim pergit : « Nihilominus tamen verum est quod Philo- » sophus, 2 Phys., c. 2. et 3 Metaph. c. 3., di- » xit : *Abstrahentium non est mendacium;* et ideo » ad purificandum affectum, et illum magis » abstrahendum ab affectu temporalium, recte » proponitur ille perfectus gradus humilitatis,

» quo homo humiliora et abjectiora magis » appetit, etiamsi praescindatur omnis alia » utilitas, praeter conformitatem ad Christum » in profunda humilitate. » In suo supposito, scilicet considerando solum ipsum eligendi actum, non poterat Suarez felicius rem expedire; sed revera, salvo contextu S. P. N., se non satis expedit. Si enim S. P., nitiditatis et claritatis in suis Exercitiis exemplar, illam abstractionem mente revera concepisset, eam procul dubio verbis expressisset, dixissetque : abstrahendo a majori laude et gloria divinae Majestatis et a fructu quem inde possemus ipsi percipere : sed de tali abstractione ne cogitasse quidem videtur Ignatius : immo verba ejus abstractioni illi omnino obsistunt. Ipsamet versio vulgata qua Suarez usus est, probat aequalitatem illam divinae laudis, de qua Ignatius, non esse imaginariam hypothesim, sed posse de facto contingere : de re enim impossibili non diceret Ignatius : *Etiamsi, nullo superaddito, laus Dei par foret.* At si consideretur contextus ipse hispanicus, qui ad litteram ita simpliciter sine *etiamsi* vertitur : ubi *aequalis* FUERIT *laus et gloria divinae Majestatis,* non poterit quis, nisi claudere oculos velit, non videre agere Sanctum Patrem, non de abstractiva, sed de reali aequalitate, men-

temque ejus mutari et perverti, si alio sensu verba ejus accipiantur. Solutio igitur etiam Suareziana rem non solvit, et manet tota difficultas.

Inquirendum igitur, an alio modo naturali et contextui S. Ignatii consono, difficultas illa solvi valeat. Si de solo actu eligendi ageret S. P., argumenta Suarezii valerent, et quaestio esset insolubilis. Si enim aequale pondus in utraque parte supponas ante electionem, et actum heroicum in unam partem, per electionem paupertatis et abjectionis addideris, eo ipso momento cessabit aequilibrium.

Alio igitur modo intelligenda est Sancti Patris hypothesis. Nimirum si aequalitas de qua agitur, non in ipsum solum actum eligendi, sed et in totam, quae electionem unam aut alteram sequitur, vitam incidat, omnia plana fiunt, et omnis difficultas evanescit : aequalitas enim, re ita posita, realis perfectaque existere poterit; atque tunc existet et actus purissimae et heroicae in Christum charitatis.

Claritatis gratia, quaedam circa perfectionem ipsam et circa statum perfectionis, praemittamus. Duo enim illa, quamvis parentelam inter se habeant, valde ab invicem distincta sunt. Status enim perfectionis hoc nomine vocatur, non ideo quod perfectum hominem per

se faciat, sed quod adminicula ei subministret, quibus si ille bene utatur, multo facilius ac certius perfectus evadat : status autem ille non est per se ad perfectionem necessarius, neque, propter culpam hominis, semper ducit ad perfectionem. Sic potest quis, quamvis sit in statu religioso, id est, in statu perfectionis, vivere et mori valde imperfectus. E contra, invenientur in mundo viri et feminae perfectiores et sanctiores quam religiosi plurimi. Sic inter alios S. Benedictus Labre, qui nunquam fuit in statu religioso, et ante eum S. Ignatius, priusquam Societatem conderet, admirabilia paupertatis, humilitatis, amoris crucis et omnis sanctitatis exempla praebuere.

Ut praedictam distinctionem quasi oculis subjiciant, solent ascetae quadrupliciter status dividere : primus est status religiosus, non ordine tantum, sed et excellentia; hunc propterea auro comparant; secundus, qui sacerdotium in saeculo est, comparatur argento, tertius, qui coelibatus in saeculo est, aeri assimilatur; quartus, id est, matrimonium, figurali cretae, seu fictili argillae comparatur.

Finge nunc quatuor statuarios, quibus materiae illae praebeantur; uni aurum, alii argentum, tertio aes, quarto tandem fictilis argilla, ut quisque eorum ex materia sibi

apposita vividam regis imaginem effingat. Si aurum malo artifici tradatur, optimo autem argilla, poterit hic ex vili materia tam veram regis effigiem efficere, ut omnes qui eam viderint, non solum vultum regis illico agnoscant et totum ejus habitum, sed etiam regem ipsum quasi vivum videre sibi videantur; ille autem qui aurum tractavit, propter suam imperitiam, ridiculam statuam probabiliter effinget quae grylli potius quam regiae imaginis nomen mereatur. Porro si solam materiam spectes, aurea statua ceteras longe superabit; si vero artem quam super omnia aestimare debes, consideres, testacea statua auream longe superabit. Aurifaber omne tolleret punctum, si statuam et auro et arte praestantem offerret. Eodem modo judicandum de diversis statibus et de iis qui in variis statibus vitam agunt.

His positis, patet posse aliquem in saeculo aequalem dare gloriam Deo, ac alius qui elegisset statum paupertatis et humilitatis; quod sit haec exceptio, libenter fateor, sed res est possibilis; hanc autem in actum vertit S. P. in sua hypothesi. Ponamus exemplum. Offertur mihi episcopatus ex una parte; ex altera autem amplectendus status paupertatis et abjectionis Christi : et ecce cum claritate certo perspicio talia fore adjuncta ut in utroque

statu eamdem virtutibus meis et operibus zeli daturus sim Deo gloriam. Objicies electionem paupertatis novam Deo superadditurum esse gloriam. Respondeo additionem esse verissimam, sed compensari eam per alios actus in episcopatu ponendos. Si igitur in una parte bilancis electionem episcopatus cum vita in episcopatu transacta; in altera parte electionem vitae religiosae ex se perfectiorem cum vita in religione peracta posueris, fieri omnino poterit, ut in utraque parte idem omnino adsit divinae gloriae pondus. Hic autem explicandi modus videtur multo magis menti S. Ignatii, viri illius practici, convenire, qui non solum eligendi actum, sed et vitae totius tenorem intendebat. Haec igitur S. Ignatii est hypothesis, cum dicit : *ubi aequalis fuerit laus et gloria divinae Majestatis*. Nec Deo igitur, nec mihi plus gloriae in una quam in altera electione accedet : nec ad ullam hic abstractionem est recurrendum, ut tertius modus explicetur.

Hac reali aequalitate posita, *ad imitandum (magis) Christum Dominum nostrum, utque ei magis actu similis fiam, volo et eligo magis paupertatem, etc.*

En tandem metam ultimam quam a 5ª Annotatione in animo sibi S. P. praefixerat, cum

tam instanter exercitanti ab initio Exercitiorum generositatem commendabat. *Valde prodest intrare in illa (Exercitia) magno animo et cum liberalitate erga Creatorem ac Dominum suum, omne suum velle et libertatem (suam) illi offerendo :* hanc autem liberalitatem sciebat electioni quam intendebat, et ad quam disponit hic modus humilitatis, non solum prodesse, sed esse omnino necessariam : *ut divina ejus Majestas, tam de se, quam de suis omnibus disponat, juxta sanctissimam suam voluntatem.* In hoc igitur tertio humilitatis modo culmen est Exercitiorum et culmen etiam ipsius sanctitatis. Humilitas enim haec non tantum cum charitate consistit, quae regina virtutum est, sed ex heroico gradu charitatis procedit, nec aliunde potest procedere.

Eo autem suum Exercitantem S. P. traxit; nec renitentem eum traxit, nec invitum, sed in amabilibus vinculis charitatis. Vincula autem tria fuere : *cognitio intima Domini mei, qui pro me factus est homo,* crescens in dies ejus *amor* et cum *imitandi* magis ac magis desiderium. Funiculus autem ille triplex difficile rumpitur. Audi S. Augustinum de his vinculis dissuaviando loquentem, occasione verborum Christi : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum* (Er. in Jo. 26.) : « Noli co-

» gitare invitum trahi : trahitur animus et
» amore. Nec timere debemus, ne ab homini-
» bus, qui verba perpendunt, et a rebus ma-
» xime divinis intelligendis longe remoti sunt,
» in hoc Scripturarum Sanctarum evangelico
» verbo forsitan reprehendamur, et dicatur
» nobis : Quomodo voluntate credo, si trahor?
» Ego dico : Parum est voluntate trahi; etiam
» voluptate traheris. Quid est, trahi voluptate? *Delectare in Domino; et dabit tibi petitiones*
» *cordis tui.* Est quaedam voluptas cordis, cui
» panis dulcis est ille caelestis. Porro si poetae licuit dicere : Trahit sua quemque voluptas; non necessitas, sed voluptas : non
» obligatio, sed delectatio : quanto fortius nos
» dicere debemus trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur justitia, delectatur sempiterna vita, quod totum
» Christus est? An vero habent corporis sensus voluptates suas, et animus deseritur a
» voluptatibus suis? Si animus non habet voluptates suas, unde dicitur : *Filii autem hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt;*
» *inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente*
» *voluptatis tuae potabis eos : Quoniam apud te*
» *est fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen?*
» Da amantem, et sentit quod dico : da desiderantem, da esurientem, da in ista solitu-

» dine peregrinantem atque sitientem, et fon-
» tem aeternae patriae suspirantem : da talem,
» et scit quid dicam... Quare voluit dicere,
» Pater quem traxerit? Si trahendi sumus, ab
» illo trahamur, cui dixit quaedam, quae di-
» ligit. *Post odorem unguentorum tuorum curre-*
» *mus*... Ramum viridum ostendis ovi, et tra-
» his illam. Nuces puero demonstrantur, et
» trahitur : et quod currit, trahitur, amando
» trahitur, sine laesione corporis trahitur, cor-
» dis vinculo trahitur. » Quam apte ista omnia tertio humilitatis modo applicantur! Trahit, trahit, inquam, Pater ad Filium : sed ita ut qui trahitur, non voluntarie solum, sed cum gaudio trahi se sinat : ita S. P. N. trahit, sed trahit amantem, ad sequendum Jesum. *Ramum viridum ostendis ovi.* Ostendit S. P. mihi exercitanti Filium Dei, qui cum in forma Dei esset et infinite beatus, adeo amore mei, qui nihil sum, qui inimicus ejusfui, captus est, ut caro fieret, in similitudinem mei factus et habitu inventus ut homo. Et haec propter me : *Qui pro me.*

Quid trahendo me ostendit mihi S. P.? Ostendit Jesum pauperem, ignotum, despectum, humiliatum, novissimum virorum : *Ego sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis* (Ps. xxx, 17). Ostendit eum iter facien-

tem, ut, cum sit *Dominus meus,* in stabulum veniens *ibi nasci possit, in summa paupertate, et post tot labores, post famem, post sitim, post aestum et frigus, post injurias et contumelias, ut (tandem) moriatur in cruce* ET OMNIA HAEC PROPTER ME. *Ostendit eum* persecutioni obnoxium et in durissimum fugientem exilium; ostendit eum in laboribus a juventute sua, in sudore vultus sui manducantem panem pauperum, et pauperem in paupere domuncula, pauperibus vestibus opertum, *et haec omnia propter me.* Ostendit eum ita se ipsum vilipendentem, ut peccatoribus immixtus, quasi peccator esset et ipse, poenitentiae baptismum petierit et susceperit. Ostendit eum in deserto jejunantem et adeo se demittentem, ut a diabolo ipso, cum Deus esset, siverit tentari se et tractari et asportari, *et haec omnia propter me* indignum peccatorem et ejus inimicum. Ostendit eum inter homines cum summa humilitate, cum ineffabili modestia, benignitate, mansuetudine ambulantem, super plebem, ut solet mater, miserentem, et inter nefandas Pharisaeorum insectationes et persecutiones, patientem et semper benevolum; sed super omnia paupertate vilem et humilitate amabilem ostendit mihi Jesum. En vincula quibus amore, quibus voluptate trahor; non videlicet illa sunt quibus Lucifer

trahit ad scelera et ad aeternum interitum, sed vincula dulcissimae charitatis quibus suavissimum, humillimum et amantissimum Cor Jesu dilectos suos trahit ad speciosissimam sanctitatem, atque ad aeternam paradisi felicitatem et gloriam. *In funiculis Adam traham eos : in vinculis charitatis* (Os. II, 4). Vinculum autem prae ceteris dulcissimum simul et potentissimum est humilitas Christi Jesu. Qui ab initio Exercitiorum opprobria Christi abhorruissent, similes pardo et leoni, de quibus Isaïas (c. II, 6), cognito jam humili Jesu, sinunt nunc cum gaudio duci se ad omne genus humiliationum : *et puer parvulis minabit eos.*

Videamus jam quo S. P., vel Christus potius exercitantem traxerit. Prorsus aequalem dabo Deo in vita mea gloriam, aequalem et sanctitatem, atque in caelo gloriam assequar, sive divitem et honorificam vitae rationem elegero, sive e contra pauperem et ignominiosam. Quam in partem me convertam, in illo aequilibrio, quod perfectum a S. P. supponitur? ex parte Dei, nil me movere potest, si quidem aequalis erit ejus gloria : item me movere nil potest ex me, sive meritum meum, sive futura mea gloria. Quidquid igitur eligam paria omnia erunt. Et ecce, dum haec cogito, mihi, ut olim Ignatio, Christus appa-

ret, dilectus ille cordis mei, in paupere habitu, vilis in specie et despectus, miseris pannis obvolutus in stabulo, veste dein miserorum operariorum contectus, tandem alapis caesus, sputis plenus, alba stultorum veste indutus, ad mortem malefactorum condemnatus, nudus denique inter duos latrones, inter ludibria moriens, ac in tali ignominia pro me exhalans spiritum. Et ipse Deus ac Dominus meus est, Salvator meus : ipse innocens, ego vero infamis peccator propter quem tot ludibria, tot opprobria patitur! Et ego vivam honoratus, dum Dilectus meus, Redemptor meus ita est inhonoratus; hoc, quantumvis sit aequalis Dei gloria, per salutem animae meae non patiar! Deus est, et ego nihil; innocens est, et ego peccator : *Dilexit me et tradidit semetipsum pro me!* et ego in honore essem, dum ipse saturatur opprobriis, et superior ei essem in hoc mundo? Nequaquam ita erit; esset mihi hoc saevum ad mortem cordolium, et ut vulnus insanabile sub pectore meo usque maneret. Ad te, dilecte mi, ad te pauperem et opprobriis pro me opertum venio, similis esse tibi volo; non erit major Deo gloria, sed ita satisfiet amori meo in te. Ex purissima ergo charitate, *ad magis te imitandum, Christe Domine mi, utque tibi magis actu similis fiam,*

volo et eligo magis paupertatem cum Jesu meo paupere, quam divitias : opprobria cum Jesu meo pleno opprobriis, quam honores; et magis desidero aestimari vanus, nullius meriti et stultus pro Christo, qui prior habitus fuit pro tali, quam aestimari sapiens ac prudens in hoc mundo.

Quam unctione plena illa antithesis, *paupertatem* cum Christo *paupere* etc., quae non unctionem tantum, sed et rationem et causam talis electionis, purissimum videlicet Christi amorem exprimit; amor autem ultra in hac vita ascendere non potest. Si enim amor in communicatione bonorum consistit, quid ego jam majus Christo donare possum quam famam omnem, omni auro pretiosiorem, pro eo amittere? quam pro stulto et insipiente, cum forte dotibus animae praefulgeam, haberi? Ad hoc tandem fastigium nos conduxit S. P. : ab initio enim quasi duplicem scalam posuit, alteram obedientiae et humilitatis; charitatis alteram, utramque in humilitate fundatam; ubi autem exercitans ad supremum gradum humilitatis pervenit, summum etiam ejus attigit gradum charitas; in illo gradu humilitas et charitas osculatae sunt. Ad hoc a principio Exercitiorum adlaboravit Ignatius, ut exercitantem in abyssum, primo nihili sui, dein putridorum peccatorum suorum, demergeret, et sic pudore

et confusione eum suffunderet; exinde ponendo semper ob oculos pauperem et humiliatum Jesum, paupertatis primo, dein humiliationis quam parit paupertas, eum amatorem effecit, atque ad supremum humilitatis culmen, ad tertium modum humilitatis, feliciter adduxit.

Quibus autem fulcimentis innixus ad tam felix fastigium S. P. N. ipse adductus est, et exercitans cum eo adducitur? Duplex illud fulcimentum est, primo, reverentia, quae exigit ut non patiar esse me Christo superiorem; secundo, amor. Salvator enim meus Jesus est, qui *dilexit me et tradidit semetipsum pro me : Charitas Christi urget* me, nec patitur esse me ei dissimilem : ita S. P. N. in reg. 11ª Summ. haec duo exprimit : *pro ipsius amore et reverentia :* quae duo ex duplici vilitate procedunt, nimirum ex vilitate ad quam ex amore mei descendit Dominus meus et Deus meus, et ex vilitate mea, qui ex me sum nihilum, qui ex me nil nisi infamis peccator sum.

Sicut tres humilitatis modi thesaurus sunt Exercitiorum S. P. N., ita et tertius modus humilitatis Societati Jesu proprius est et ejus veluti essentiam constituit. Sicut Christus *Jesus* Salvator dicitur et est, quia *humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis :* sic Societas ab Ignatio fundata, Jesu societas

et dici et esse non potest, nisi in quantum voluntariam humiliationem Jesu in se exprimat. Jam vero tota vita Jesu a Spiritu Sancto verbo unico quod omnia resumit et continet, declaratur : *humiliavit semetipsum;* ergo vita et essentia Societatis Jesu et sociorum Jesu in tertio humilitatis modo consistit. Unde P. de Ponlevoy concludit eum qui non habet, vel saltem qui non serio ad tertium humilitatis modum contendit, dici non posse de Societate Jesu. Quanta condemnatio eorum qui famam et aestimationem hominum, sive concionando, sive docendo, sive regendo, sive confessiones excipiendo prosequeretur?

Alio etiam ex capite tertius humilitatis modus Societati nostrae proprius est. Sancti enim Patris nostri, sicut et fundatae ab eo Societatis, tessera est : *Ad majorem Dei gloriam.* Jam vero gloriam Deo non nisi per humilitatem nostram dare possumus, ita ut verbum de Christo a Joanne Praecursore dictum nobis applicari valeat : *Illum oportet crescere, me autem minui :* in tantum enim glorificamus Deum, in quantum nos coram Deo deprimimus; ut autem ad majorem Dei gloriam veniamus, oportet nos ad tertium humilitatis modum, id est ad perfectissimam humilitatem, ascendere.

Hinc intelligimus cur S. P. N. tantopere

perfectissimae huic humilitati in reg. 11 Summarii insiterit; sciebat enim vir ille, tam eximie a Spiritu edoctus, totam suam Societatem huic humilitati, tanquam genuino fundamento, inniti : eamque, per consequens, si ei non vere inniteretur, non fore Societatem Jesu. Ideo regulam illam enixissima hac commendatione incipit : *Diligenter animadvertant oportet (magnifaciendo, summique momenti id esse ducendo in conspectu Creatoris ac Domini nostri) quantopere juvet ac conferat ad vitae spiritualis profectum, etc.*

Post istud instantissimum *(diligenter, summi momenti, quantopere)* praeambulum, cui simile in ulla ignatiana regula nullum reperies; totam mentem suam in hac regula, non exercitanti et deliberanti, sed, omissa hic hypothesi, Societatis viro, qui suam electionem fecit et opere complevit, apertissime declarat; et primum quidem modo universali, qui veteri homini, non vulnera, sed mortem ipsam absolute infligit : OMNINO, *et non* EX PARTE, ABHORRERE (non mente tantum, sed et sensu) *ab* OMNIBUS *quae mundus amat et amplectitur, et admittere et* CONCUPISCERE TOTIS VIRIBUS, QUIDQUID (sine ulla in quacumque re exceptione, quod est perfecte Jesum induere) *Christus Dominus noster amavit et amplexus est.*

Descendens autem in specie, ceteris relictis, ad tertium humilitatis modum, quem hic intendit, S. P. ita prosequitur : *Quemadmodum enim mundani homines, qui ea quae mundi sunt, sequuntur, diligunt et quaerunt magna cum diligentia, honores, famam, magni nominis existimationem in terra, sicut mundus eos edocet : sic qui procedunt in spiritu, et* SERIO (non pro forma et derisorie) *Christum Dominum nostrum sequuntur,* AMANT *et* ARDENTER *exoptant quae iis* OMNINO *contraria sunt : indui nimirum eadem veste ac insignibus Domini sui, pro ipsius* AMORE *ac* REVERENTIA : *adeo ut si, sine offensione ulla divinae Majestatis, et absque proximi peccato foret, vellent contumelias, falsa testimonia, et injurias pati, ac stulti haberi et existimari (nulla tamen ad id per eos data occasione); eo quod exoptant assimilari, ac imitari aliquo modo Creatorem ac Dominum nostrum Jesum Christum, ejusque vestibus et insignibus indui : quandoquidem illa ipse propter majorem profectum nostrum spiritualem induit, nobisque exemplum dedit, ut in omnibus, quoad ejus fieri poterit, divina gratia aspirante, eum imitari et sequi, cum vera sit via, quae ducit homines ad vitam, velimus.*

Ardua certe illa sunt et perfectio ipsa; sed cum ad essentiam vocationis nostrae pertineant, et per consequens, divinae circa nos

voluntatis sint, profecto Deus, qui sapiens est, gratia sua nobis aspirabit, modo ne nobis ipsi desimus, et per continua adversus nosmetipsos luctamina, gratiae vocationis nostrae respondeamus.

Tribus humilitatis modis expositis, continuo triplex et hic, sicut in repetitione de peccatis et in meditationibus de duobus Vexillis ac de tribus Binariis, solemne colloquium ad B. Virginem, ad Christum, et ad Patrem, S. P. proponit; non autem proponit omnibus, sed iis tantum qui tertium humilitatis modum serio desiderant. Hic solerter adnotat R. A. P. Roothaan : « Ex autographo, non omnibus » promiscue, sed iis qui *desiderant* ad tam per- » fectam humilitatem pertingere, qui scilicet » Christi Regis sui amore succensi, et hujus » tantae perfectionis pulchritudine capti ad » eam consequendam anhelant, qui, uno ver- » bo, *insignes esse volunt* in omni Christi ser- » vitio, prout in contemplatione de Regno » Christi dictum est; his medium hoc tripli- » cis colloquii proponitur. Donum enim est » singulare, *datum* vere *optimum, donum perfec-* » *tum,* quod *desursum* est, nec nisi multa et » humili prece obtinendum: ita tamen, ut » oratio haec, petitio, postulatio per triplex » colloquium *multum* quidem juvet, nec sola

» tamen sufficiat, nisi etiam nostra exercita-
» tio, et generosa nostri victoria accedat. »

Sic igitur ait S. P. : *Itaque pro eo qui desiderat hanc tertiam humilitatem obtinere, multum (ad hoc) prodest, facere tria colloquia de Binariis jam dicta, petendo ut Dominus noster velit ipsum eligere ad hanc tertiam, majorem et meliorem humilitatem, quo magis eum imitetur, ac (melius ei) serviat, si aequale aut majus fuerit servitium, et (aequalis aut major) laus suae Majestatis.*

In expositione tertii humilitatis modi S. P. posuit casum *aequalitatis tantum gloriae Dei : ubi aequalis fuerit laus et gloria divinae Majestatis;* et ecce hic non aequalitatem tantum, sed et majorem gloriam ponit; *si aequale aut* MAJUS *fuerit servitium.* Hinc patet, juxta mentem ipsius, utrumque casum, sive aequalis, sive majoris gloriae Dei, ad tertium humilitatis modum pertinere. Quare ergo S. P., in ipso tertio humilitatis modo de solo casu aequalis gloriae locutus est? quia ibi est apex hujus humilitatis simul et charitatis; in quo apice nihil est quod movere me possit, nisi purissima charitas; nulla enim sive gloriae et servitii Dei, sive perfectionis meae aut meriti et futurae gloriae ratio, nulla, inquam, nisi amor Jesu purissimus et omnino gratuitus me movet. Casus hic de facto erit rarissimus, nun-

quam enim de ejus existentia homini in hac vita constare poterit, quia solus Deus novit futura contingentia. Ideoque practice quotiescumque aut obedientia, aut evidens major Dei gloria non exigent contrarium, juxta tertiam humilitatem, ut ex amore Christo similis fiam, eligam paupertatem et abjectionem; et erit tunc, etiam cum majori Dei gloria, tertius humilitatis modus. Ubi enim aequalis Dei gloria fuerit, evidens signum erit quod electio abjectionis fiat ex sola purissima charitate; sed ex eadem purissima charitate fieri poterit electio, ubi major est Dei gloria, nec ideo minus electio ad tertium humilitatis modum pertinebit. Hinc patet P. Suarezium, cum de solo electionis actu egerit, de facto non de aequali, sed de majore Dei gloria, tertium humilitatis modum esse interpretatum.

PRAEAMBULUM

ad electionem faciendam

Plurimi tractatus de vocatione inquirenda extant a doctis ac piis viris sapienter exarati, non tamen ejusdem omnes meriti; sed si quis ea quae S. P. N. a Spiritu Sancto, ut in ceteris Exercitiis, illuminatus et inspiratus, hic posuit documenta, plene intellexerit, aliis libris nullatenus indigebit; solus Ignatius abunde sufficiet : immo de aliis documentis quae Exercitiis superadderentur, plerumque forte dicendum erit : *inopes nos copia fecit :* de illo vero, cui Regulae S. P. N. non sufficiant, profecto existimandum est, quod regularum illarum nec sensum, nec virtutem, sit assecutus. Praeterea sola Sancti Fundatoris circa electionem doctrina, a Sancta Sede Apostolica cum ceteris Exercitiis approbata et laudibus nobilitata est, ita ut qui illam teneat et sequatur, certo ac inoffenso pede procedat. Si vero regulae accurate perpendantur, nemo non agnoscet eas esse, tum eximia ratione, tum altissima, quae desursum est, sapientia plenas, necnon logica irresistibili, doctissima brevitate, simplicitate lucidissima, et ampli-

tudine tali ita constare ut diversos, qualescumque sint, vitae status complectantur.

Et quidem si de regularum illarum ad omnes vitae status applicatione agatur, nullus est status etiam specialissimus, cui earum principia applicari non possint, et cui non sufficiant. Sive enim matrimonium ipsum cum tali vel tali sit eligendum, sive officium vel judicis, vel mercatoris, vel advocati vel medici, etc. sit amplectendum, regulae illae, modo rite applicentur, et principium divinae gloriae propriaeque salutis, et tria tempora, et quatuor regulae, attenta ratione subjecti et statuum adjunctis, adhibeantur, nihil non erit in promptu ut conveniens fiat electio. Immo, regulae a S. Ignatio positae non status vitae tantum electioni conveniunt, sed cujuscumque rei faciendae; unde Superioribus praesertim familiares sint oportet.

Quamvis documentorum illorum usus tam late pateat, ea non proponit in Exercitiis S. P., nisi in ordine ad electionem status; neque ad electionem status cujuscumque, sed ad eam quam ab initio Exercitiorum, immo et ab ipsis annotationibus, sine intermissione prosecutus est, nimirum vitae religiosae et apostolicae, modo divina vocatio intercedat. Quo enim prima hebdomada tetendit, nisi ut exer-

citans, abstersis peccatorum suorum maculis, posset mundo corde videre Deum, et expertus in se tam mirabiles divinae misericordiae largitiones, divino inflammari amore incipiret, atque ad magna pro Deo facienda disponeretur? Quo tetendit meditatio de Regno Christi, nisi ut Christi amore captus, indictoque bello sensualitati, *carnali parentum amori,* et honori mundano, offerret se, non tantum ad imitandum Christum, in ferendis omnibus injuriis et omni vituperio, sed ad *paupertatem* tam *actualem* quam spiritualem cum Christo amplectendam? Quo tetenderunt mysteria omnia in quibus Christus pauper et abjectus exhibetur? Quo mysteria ab ascensu in templum et a vocatione Apostolorum, nisi ad vitam religiosam et apostolicam suadendam? Quo meditatio de duobus vexillis? Quo fine meditatio de Binariis et omnium pecuniarum abjectio et status optimi electio tam enixe proponuntur? Istis omnibus peractis, continuo ponuntur regulae electionis. Duplicis tantum electionis, omissis ceteris, S. P., ut patet ex praeambulo, meminit : prima est inter matrimonium et vitam Deo, vel in clero saeculari vel in religione consecratam; secunda, ubi quis matrimonio renuntiavit, inter clerum saecularem et vitam religiosam, praesertim apostolicam.

De caelibatu in saeculo, penitus S. P. mussitat, nec sine consilio. Etenim, quamvis status virginitatis in mundo procul dubio statu matrimoniali sit *in se* multo perfectior, dicente Apostolo : *Consilium autem do tanquam misericordiam consecutus a Domino,* dicente et Christo : *Qui potest capere capiat,* nihilominus, exceptis excipiendis, status caelibatus in saeculo non est ex iis, qui in genere sint commendandi; idque triplici ex capite : 1° Quia in saeculo pericula multa sunt, et caro infirma; 2° Caelebs in saeculo multa adjumenta non habet quae sacerdoti etiam saeculari praesto sunt, ut in castitate perseveret; v. g. quotidiana Missae celebratio, frequens confessio, meditatio, divinum officium, superiorum cura et vigilantia, quae sunt vis ac robur sacerdotis. 3° Experientia nimium, eheu! tristis docet, quod caelibes in saeculo, in caeno turpidissimae libidinis saepius volutentur, nedum virginitatem colant, *sus lota in volutabro luti;* hinc Apostolus, postquam virginitatis encomia celebravit, subdit continuo : *Porro hoc ad utilitatem vestram dico : non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id, quod honestum est, et quod facultatem praebeat sine impedimento Dominum obsecrandi.* (2 Cor. 7). De eadem re Christus dicit : *Non omnes capiunt verbum*

istud, sed QUIBUS DATUM EST. (MATT. 19. 11). animadvertendum tamen, hic non idem omnino esse dicendum de caelibatu mulierum ac de caelibatu virorum. Pleraeque enim feminae aptiores sunt ad caelibatum in saeculo servandum; et re quidem vera in prima illa ad Corinthios epistola a v. 36 de mulierum praesertim virginitate Paulus sermonem habet.

Sic autem S. Ignatii praeambulum requisitas ante opus electionis animae dispositiones describit : *In omni bona electione, quantum est ex parte nostra, oculus intentionis nostrae debet esse simplex, unice spectando finem ad quem creatus sum, scilicet, ad laudem Dei Domini nostri, et salutem animae meae.*

Bona electio illa sola est, quae a Deo est, et, per consequens, divina; jam vero nec a Deo est, nec divina esse potest electio, quae fini hominis, scilicet laudi Dei ac porro saluti meae non est consona. *Universa* enim, ut vidimus, *propter semetipsum operatus est Dominus.* Extra divinam gloriam, quae divinae voluntati essentialis est, nil moraliter bonum esse potest; ergo a fortiori res summi ad universam vitam momenti, scil. status vitae electio, bona non erit, nec saluti proficua, nisi intuitu fiat laudis Dei, ad quam necessario, essentia-

liter et absolute creatus sum. Neque aliquo modo tantum, immo nec ut praecipuo cum aliqua scilicet admixtione finis alicujus qui non sit finis creationis meae, finem illum prosequi me vult S. P., sed ut *unicum : unice spectando,* ita ut oculus meus sit simplex, scilicet ut in eligendo, non duo aut plura, ob oculos habeam, laudem nempe Dei et meum aut aliorum commodum, sed unice laudem Dei, et, per consequens, meam salutem. Et hoc quidem ei qui Deum novit et se, logice est necessarium et ineluctabile.

Haec supponunt exercitantem factum jam relate ad sua propria et ad creata omnia perfecte indifferentem, ac nihil amplius in vita sua praeter divinum servitium et laudem intendentem et quaerentem. *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit* (Luc. xi, 35). Perfecta certe illa animi dispositio est, sed mirum non erit, quod exercitans hoc loco Exercitiorum eam indifferentiam sit adeptus, si quidem ab ipso Fundamento in ea esse jam debuit. Sed ut saepius jam notavimus, indifferentia illa nullatenus in eo existere poterit, qui non prius omnino et intellectui et voluntati infixum primarium principium habuerit : *Homo creatus est, ut Deum Dominum laudet, ei reverentiam exhibeat, eique serviat, et per haec*

salvet animam suam. Retusa autem clavi illius cuspide, homo sibi creatisque omnibus mortuus, ut soli Deo vivat in terris, facile et quasi sponte ad omnia erit indifferens.

Qui igitur nondum statuit vivere Deo et per consequens, non fecit se ad creata omnia indifferentem, nec ad bonam electionem faciendam est dispositus. Curet igitur director ut voluntatem illam ac indifferentiam habeat exercitans, antequam electionis opus aggrediatur; secus nihil fiet, quod integrorum Exercitiorum dignum sit. Immo et extra Exercitia, eadem in homine qui vocationem suam inquirit spiritualis pater sedulo procuret; secus sine gubernaculo navigabitur, et sine fundamento aedificabitur.

In omni bona electione, ait S. P. *Bona,* ait, nam sine ea quam ponit conditione, mala erit electio, forte non in se, sed quoad Dei voluntatem et beneplacitum, ideoque nec divina, nec bene erit ordinata. Addit : *quantum est ex parte nostra;* pars Dei enim est, et est pars nostra. De parte Dei, recolantur sublimissima illa quae in Annotatione decima quinta dicta sunt : *In talibus Exercitiis, convenientius est, et multo melius, ut ipse Creator ac Dominus animae suae (sibi) devotae se communicet, eam amplexans in suum amorem ac laudem, etc.* Cum autem hic de

sola divinam inquirendi voluntatem methodo agatur, partes Dei S. P. omittit, ut solas exercitantis partes describat : in omnibus enim concursum hominis Deus requirit. Facienti quod suum est, Deus non deerit unquam.

Positum principium de simplici intentionis nostrae oculo, S. P. tanta cum claritate et nitiditate res explicat et evolvit, ut vix aliquid addi posse videatur : res enim magni, immo et summi ad bonam electionem momenti est : *Quapropter quidquid ego eligam, debet esse ad hoc (s. ad hoc dirigi) ut me juvet ad finem ad quem creatus sum :* ex quo patet nullum esse vitae statum qui ab hac regula eximatur, aut ea dirigi non debeat. Per contrarium dein idem inculcat : *non ordinando, neque trahendo finem ad medium, sed medium ad finem.*

Exemplis porro rem illustrat, quibus, quin divisionem enuntiet, duplex electionis genus, de quo diximus, insinuatur : nempe matrimonium aut vita Deo sacra; et, si haec eligatur, aut sacerdotium in mundo, aut vita religiosa; *sicut accidit, ut multi eligent primo uxorem ducere, id quod est medium, et secundario in statu conjugali Deo Domino nostro servire, quod (scilicet) servire Deo, est finis.* Neque miretur quis S. Ignatium de eligendo matrimonio agere; nam 1. vocatio ad sacerdotium divina sit

oportet, juxta verba Apostoli : *nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron* (Hebr. 5, 4). Immo neque ad consilia evangelica vocantur omnes. Dixit namque Jesus : *si vis perfectus esse, vade, etc.*, addidit autem : *Qui potest capere, capiat;* ad hoc quippe specialis gratia requiritur, qua homo *velit* et *possit;* interna requiritur Christi invitatio, qua deficiente, frustra hominem ad vitam religiosam trahere tentabis. Porro nec sacerdotio nec vitae religiosae idonei sunt, qui luxuriae serviunt, aut ita ad vitia carnis sunt proclives ac debiles ut relapsuri prudenter timeantur. Aliter se res haberet, si diuturno tempore fortiter pugnando a relapsu facti essent immunes. Ubi autem de admissione in Societatem nostram agitur, ea quae in hanc rem severissime A. R. P. Beckx praescripsit, fideliter executioni mandanda sunt. Ex his patet, quam prudenter S. P. de ipsius matrimonii electione meminerit. *Quod si non se continent, nubant. Melius enim nubere quam uri* (1 Cor. 7, 9).

Dein accedit S. P. ad secundam electionem, quae, abjecto matrimonio, tota in statu sacro eligendo versatur : *similiter sunt alii qui primo volunt habere beneficia (ecclesiastica), ac postea servire Deo in illis.* Accipere beneficia ecclesiastica, idem dicit ac vitam agere cum

clero seculari; contrarium autem est, abjectis beneficiis, paupertatem amplecti in vita religiosa, sed de primo tantum statu agit; de vita autem religiosa neque hic, neque in toto regularum electionis decursu directe loquitur; ne nomen quidem ipsius ullo loco profert. Nimirum, ipsemet, quod, durantibus Exercitiis Directori tam sapienter et enixe in Annot. 15. commendavit, fidelissime observat : *Qui tradit Exercitia, non debet ea accipientem movere magis ad paupertatem ejusve promissionem, quam ad opposita, neque ad unum statum vel modum vivendi, quam ad alium.* Quare? 1. Quia ubi de statu perfectionis amplectendo agitur, in Exercitiis maxime, in quibus per munditiem et fervorem cordis omnino ad communicandum directe cum Deo est dispositus exercitans, videtur Deus quasi sibi reservare divinae suae voluntatis in tanta re manifestationem; 2. quia exercitans multo magis ad vitam religiosam inclinabitur, si se intrinsece a Deo motum senserit, quam si extrinsece ab homine moveretur; 3. quia exercitans multo jucundius, securius et generosius magna suscipit, quando ex se et veluti spontanee impellitur. Multi fuere et multi sunt in Societate nostra, qui, si ab aliquo e Nostris fuissent allecti, nunquam eam essent ingressi.

De iis qui matrimonium vel beneficia *primo* eligunt, et *secundario* in alterutro ex his statibus servire Deo, ita pergit Ignatius : *Itaque hi non recta tendunt ad Deum, sed volunt ut Deus recta veniat* (non dicit : *ad eos,* sed, quod eorum erroneum et indignum agendi modum acriter condemnat) *ad ipsorum inordinatas affectiones* (sin minus criminosas, saltem secundum finem hominis non ordinatas, ideoque et pro ipsa salute periculosas), *et consequenter ex fine faciunt medium, et ex medio finem; ita quod priori loco assumere deberent, posteriori loco assumant. Primum enim debemus pro objecto ponere, velle servire Deo, id quod est finis, et* SECUNDARIO, *beneficium assumere, vel uxorem ducere, si id magis conveniat; id quod est medium ad finem.* Sed haec quantumvis clara, Ignatio verborum aliunde parcissimo nondum sufficiunt; tanti enim momenti res est! Ita denuo idem alio modo exprimit : *Nihil ergo debet me movere ad haec vel illa media assumenda, aut ad ea relinquenda* (quo vita religiosa indirecte subintelligitur), *nisi* SOLUM servitium et laus Dei Domini nostri et salus aeterna animae meae.

Consideratio

Ad accipiendam notitiam, quibus de rebus fieri debet electio (proponitur sequens consideratio), et continet in se quatuor puncta et notam unam.

Primum punctum. — *Necessarium est, ut omnia, de quibus electionem volumus facere, sint indifferentia, aut bona in se, quaeque militent intra sanctam Matrem Ecclesiam Hierarchicam, et non mala, neque huic (Ecclesiae) repugnantia.*

Ut ne in unam vel alteram partem exercitantem inclinet, aut inclinare videatur, S. Fundator ex illa sua eximia prudentia, nullos status in specie proponit eligibiles, sed, liberrimum campum exercitanti relinquens, in genere eos status indicat, qui aut eligi possint, aut respui debeant.

Eligibiles sunt qui intra sanctam Ecclesiam militantes, sunt in se, vel indifferentes vel boni. Exemplis rem illustremus. Ad status in se indifferentes pertinet, ut quis sit aut agricola, aut mercator, aut advocatus, aut notarius, aut scriba, aut miles, aut nauticus, aut operarius, etc. Dixi *in se;* nam fieri poterit ut status de se indifferens sit tali vel tali valde periculosus respectu divini servitii, et conse-

quenter non ipsi indifferens; sic esse medicum non convenit omnibus. Sic pariter ludimagistri aut lectoris, sive in scholis, sive in collegiis, sive in academiis officium de se est indifferens; sed indifferens non erit amplius, si in mala schola aut academia exerceatur; finis enim eorum qui tales scholas instituerunt pessimus est, nimirum perditio animarum. Si autem ad intrinsecam scholarum illarum malitiam, Ecclesiae hierarchicae, id est summi Pontificis aut Episcoporum, prohibitio accedat, multo major culpa eorum est, qui tale magisterium in se suscipiunt.

Inter ea quae in se sunt bona, recenseri debent scholae quae ad hoc institutae sunt ut juvenes christiani evadant; Apostolatus, sacerdotium, episcopatus, omnes sive Ordines, sive Congregationes religiosorum, etc., quia ibi omnia, sive finem, sive media respicias, bona in se sunt. Idem dicendum de Sacramento Matrimonii, de quo dicit Paulus ad Ephesios v. 32. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia.*

Et non mala, neque Ecclesiae repugnantia. Mala illa sunt omnia, quae sine peccato proprio vel alieno exerceri non possunt, qualia sunt typis edere aut vendere prohibitos libros vel ephemerides, cauponas aperire, in quibus

aut libido permittatur aut cantus libidinis incentivi edantur, in scenicis repraesentationibus impiis aut bonis moribus contrariis ludere, etc.

Secundum punctum. — *Sunt quaedam quae cadunt sub electionem immutabilem, qualia sunt Sacerdotium, Matrimonium, etc.; sunt alia quae cadunt sub electionem mutabilem, cujusmodi est, accipere beneficia (ecclesiastica) vel relinquere, accipere bona temporalia, vel abjicere.*

In primo puncto dixit S. P. qui status eligi vel possint vel non possint ratione moralitatis; in secundo autem, eamdem ponit distinctionem ratione mutabilitatis aut immutabilitatis.

Etsi ne nomen quidem vitae religiosae proferat, quem apte tamen, et quasi de alia re, scilicet de mutabilitate aut immutabilitate occupatus, eam indirecte ponit ob oculos eorum, qui sive in saeculo, sive in statu ecclesiastico vitam agunt! accipere beneficia ecclesiastica, en pro clericis, quibus licet *ea relinquere,* amplectendo videlicet paupertatem evangelicam : hos imitari possunt, qui profanam adhuc vitam ducunt; qui vero aut bona temporalia possident, aut ea sperare possunt, si bona illa abjiciant. Ubi de bonis ecclesiasticis qui sacro ministerio respondent, agitur

mitiorem vocem adhibet : *relinquere ;* ubi vero de pure profanis ac mundanis divitiis relinquendis, earum contemptum voce *abjiciat* valenter affirmat. Ceterum haec ultima vox generosis animis convenit et cum liberalitate, de qua in 5ª annot., apprime consonat.

Tertium punctum. — *In electione immutabili, quae jam semel facta est (executioni mandata) non est amplius quod eligatur, quia non potest dissolvi, sicut est Matrimonium, Sacerdotium, etc. Hoc tantum animadvertendum est, ut si quis non fecit electionem debite et ordinate (id est, non) absque affectionibus inordinatis, (hujus erroris) poenitens (secum poeniteat, et) procuret bonam vitam agere in sua electione : quae electio non videtur esse (fuisse) vocatio divina, cum sit (fuerit) electio inordinata et obliqua : quemadmodum multi in hoc errant, facientes (fingentes sibi) ex obliqua, vel ex mala electione vocationem divinam : quia omnis vocatio divina est semper pura et munda, sine admixtione carnis, neque alterius cujusquam affectionis inordinatae.*

Hoc punctum magni momenti est et magnae dexteritatis. Dum de iis unice agere videtur S. P., qui malam fecerunt electionem immutabilem, eisque quid agere debeant aperit, revera tamen, serpentis prudentiam cum recta et simplici columbae intentione, imita-

tus, illos praecipue intendit qui hic et nunc facturi sunt electionem. Praecavet enim ne et ipsi electionem faciant, de qua eos postmodum, sive in hac, sive in altera vita, poeniteat, et ostendens in quo illi erraverint, praesentes praemonet ne in eumdem errorem similiter labantur. Ad hoc posita jam principia resumens ac lucidius exponens, cum magna claritate, quae bona, quae mala sit electio describit. Inde intelliget exercitans, modo ei tantillum divini luminis affulgeat, quam facile, sive in contrahendo matrimonio, sive in suscipiendo beneficio, irrepat inordinata affectio, et quam sibi optandum, ut illa plerumque cum magno animae detrimento blandientia a se abjiciat, et ad vitam religiosam, si adsit gratiae motus, confugiat, in qua nulla talis inordinatio sit formidanda. Hinc apparet totam S. Ignatii calliditatem, quae certe non modica fuit, in hoc constitisse, ut homines caelis certo insereret, eosque ad magnam eveheret sanctitatem.

Duplicem electionem non rite factam, et consequenter non divinam, distinguit S. Fundator, utramque inordinatam. 1. Altera est *mala,* quia ex fine malo facta est : sic male sacerdotium elegit, qui non nisi pingue beneficium, aut dignitates ecclesiasticas, aut vitae

commoda, aut parentum beneplacitum in eligendo intendit; similiter qui ex impetu libidinis matrimonium duxit. Merito hic ea recoles quae dixit Raphael filio Tobiae (T. 16 sq.). *Audi me, et ostendam tibi qui sunt quibus praevalere potest daemonium. Hi namque qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se et a sua mente excludant, et suae libidini ita vacent, sicut equus et mulus, quibus non est intellectus : habet potestatem daemonium super eos. Tu autem cum acceperis eam, ingressus cubiculum per tres dies continens esto ab ea, et nihil aliud nisi orationibus vacabis cum ea. Transacta autem tertia nocte, accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quam libidine ductus, ut in semine Abrahae benedictionem a filiis consequaris.*

2. Altera electio dicitur *obliqua,* quia non recta ad Deum tendit. Non renuntiat quidem divino servitio, sed linea recta currit primum affectione inordinata ad creaturam quae extra debitam rectam viam est; et ubi hanc est adeptus, consentit et vult inde ad finem lineae rectae tendere. Sic permulti juvenes et permulti parentes agunt; decernunt statum aliquem vel honorificum, vel quaestuosum, vel commodum et sibi jucundum sumere, quin de divina inquirant voluntate, aut de vita aeterna sint solliciti, sibi ipsis blandientes quod in

eo statu, modo sit in se honestus, possit homo servire Deo et salvare animam suam. Quot miseri juvenes ad religiosam vitam vocati, in qua sancti evasissent, per suam aut parentum suorum culpam ardent in inferno! Quot e contra sacerdotes inter damnatos computantur, quia aut ex sua aut ex parentum suorum affectione inordinata, sacerdotium sine vocatione divina susceperunt, et malam ac sacrilegam in sacerdotio vitam egerunt!

Notandum hic est, S. Ignatium per affectionem inordinatam, non intelligere eam tantum quae peccatum aliquod adnexum habeat, sed eam etiam quae non sit perfecte et unice ad Deum ordinata; quod rejectae religiosae praesertim et apostolicae vitae saepe est applicandum.

Hisce duobus inordinatis electionibus perfectam et divinam opponit S. P., quam positive et negative definit: *Omnis,* ait, *vocatio divina est semper pura et munda;* Deus enim vocando inclinat ad aliquem statum; non autem potest inclinare nisi ex dignis se rationibus; porro digna Deo sua sola pura gloria ac sanctissima voluntas est; ergo omnis vocatio seu attractio divina debet *pura* esse divinae gloriae ac divini servitii intentio; *munda* sit igitur oportet ab omni alia intentione, quae

non possit intentio dici ipsius Dei. Magna illa perfectio est, sed non nisi in ordine ad perfectionem obtinendam et ad vitam Deo penitus consecrandam tantam Exercitiorum spiritualium molem aedificavit, ac compegit S. Ignatius; neque in ullam incidit exaggerationem, cum ea omnia divinae Majestati merito debeantur.

Sine admixtione carnis; quamvis hic S. P. per *carnem* maxime, pro scopo suo, in primis intelligat carnalem propinquorum amorem, tamen etiam sub hoc nomine, venit, sicut in Sacris Scripturis cernitur, quidquid ad veterem hominem pertinet. *Neque alterius cujusquam affectionis inordinatae;* rem vero in omnem partem vertit S. P., et nulli parcit repetitioni, ut puritatem illam absolutam, quae vix non heroïca est, et sine qua res quam intendit non procedet, exercitanti omnino inculcet.

Quartum punctum. — *Si quis electionem fecit debite, et ordinate, rerum quae sunt sub electione mutabili, et non accedendo (non adhaerendo) ad carnem, neque ad mundum, non est cur denuo faciat electionem, sed in illa (statuat) perfectum se reddere quantum possit.*

Duo hic sunt notanda. Si absolutam illam intentionis puritatem, de qua modo dictum

est, attente consideraverit exercitans, non raro reperiet in facta prius de minori bono electione ductum se inordinatione aliqua fuisse; ideoque nova facienda erit de meliori vel de optimo electio. 2. In hoc puncto eos maxime tangit S. P., qui, postquam bonam fecere electionem, v. g. status religiosi amplectendi, indebite, sive ex inconstantia, sive ob desolationes, solutam jam quaestionem iterum in dubium revocant. Hoc majori exhinc patet periculo, quod supponatur divina illa vocatio, siquidem ex purissimo divini servitii intuitu electa est.

Nota : Animadvertendum est, quod si talis electio mutabilis non fuit facta sincera et bene ordinata, tunc expedit electionem debite facere, si quis desideret ut ex se proveniant fructus insignes, et valde grati Deo Domino nostro. Non sincera, id est quodammodo mendax, hoc sensu quod cum intentione divini servitii boni alicujus privati sublateat intentio, quae electionis puritatem inficiat. Hinc iterum patet quam perfectam sui ipsius abnegationem S. P. requirat ab eo, qui idoneus ad integrae Exercitia, et consequenter ad consilia evangelica reputatur. Sciebat non ab omnibus esse expectandum *ut desiderent fructus insignes ex se provenire et valde esse grati Deo Domino nostro;* ideoque

non omnibus, sed perpaucis integra vult tradi Exercitia, ceteris autem dari *leviora*. Ultima verba in memoriam revocant ea quae in fine meditationis de Regno Christi dicta sunt : *Tertio, ii qui magis affici volent (erga Christum Regem) et insignes se exhibere in omni servitio Regis aeterni ac Domini universalis*. Ibi erat dispositio generalis mente concepta; nunc ad praxim devenitur, quae multo magis ardua est.

Ex dictis patet quanti momenti sit istud praeambulum ad electionem, et cur sub omni forma illud S. P. inculcet. Ubi purissima illa divini servitii intentio adfuerit, electio, attenta Dei fidelitate et Providentia, non poterit non fieri juxta divinam voluntatem, immo et juxta summum Dei beneplacitum; nam primo, nullum divinae gratiae impedimentum obsistet; secundo, perfecta illa, de qua in quinta annotatione erga Deum liberalitas abundabit; cum autem non sinat a creatura sua Deus vinci se liberalitate, certo certius ita dispositus exercitans ad maximas suscipiendas gratias atque ad dona a summa ac divina Bonitate erit paratissimus; unum restabit, scilicet, ut juxta regulas quae sequentur, quaerat; et procul dubio inveniet.

Sed generales in praecedentibus exercitiis

excitatae dispositiones non semper sufficiunt, ubi de ardua electione facienda momentum jamjam adest. Non raro enim tunc natura reviviscit, ac bellum intentat. Ideo ad prima Fundamenti principia redit S. P., et ad meditationem de Regno Christi, ut novis ictibus clavum profundius infigat.

Hic tractanda venit quaestio cur a baptismate Christi, unum tantum Mysterium in corpore Exercitiorum contemplandum S. P. proponat? Certe noluit tres fieri repetitiones et iterum circa idem applicationem sensuum. Equidem prostant plurima in fine libelli Mysteria pro secunda hebdomada, nec ut non adhibeantur ibi posita sunt. Cur igitur S. P., qui ex consilio res omnes disponit, unum tantum singulis diebus mysterium proponit, cetera autem quasi ad libitum in fine?

Directorium responsum insinuat, c. xxxj. « Hoc autem tertio tempore poterit dari una » tantum meditatio ex iis quae in secunda » hebdomada proponuntur cum sua repetitio- » ne, ut reliquum tempus impendatur electio- » ni. Idque videtur innui in libro Exercitiorum » per exemplum contemplationis Baptismi, » quae ponitur quinta die. Quamquam, cum » hoc non praecipiatur, credi potest, quod » permittitur Instructori, ut unam vel duas in

» die det meditationes, ut viderit exercitanti » magis profuturum, pro difficultate quam » sentiat, et prout indigeat tempore ad facien- » dam hanc discussionem. »

Ex alia parte multum insistit, et merito, Directorium, c. xxx, ut non omittantur Mysteria, ad vacandum electioni. « Electio autem » ita peragenda est, non ut electurus medite- » tur tria illa tempora toto tempore medita- » tionis, sed post peractam unamquamque » meditationem, vel in aliqua ejus parte, » cum animus jam quietus est, tunc tempus » proprium est agendi, et ratiocinandi circa » rem propositam. Et ideo diligenter curan- » dum est, ut meditationes de Christi vita » diligenter fiant suo tempore. Nam si quis, » omissis suis meditationibus, vellet se to- » tum dare cogitationi de electione status, » non bene faceret; idque ei damnum afferret; » quia per meditationes anima corroboratur, » et illuminatur, et elevatur a terrenis, unde » fit aptior ad Dei voluntatem et cognoscen- » dam et amplectendam, et ad superanda om- » nia impedimenta; et contra si cessaret a » meditando, obscurior fieret et infirmior. »

Igitur a tempore quo incipit labor electionis, scilicet a quinta die, unum tantum mysterium proponit S. P., seu potius praescribit,

non impediens quominus unum aut alterum addatur ex fine libelli, ut facilius electioni se tradat Exercitans. Cum autem a quinta die ita procedat, videtur supponere, non tantum ubi de tertio electionis tempore fit consideratio, sed et jam a quinta die, de tota materia electionis a se proposita esse agendum, scilicet de praeambulo, de triplici tempore, de duobus modis, seu de reformatione.

Id autem fiet, et quidem suavius, in ipsis meditationibus, ut ait Directorium; sed saepe valde utile erit, imo et necessarium, ut de ipsa materia electionis speciales proponantur ab Instructore meditationes. Divini autem solius servitii principium in praeambulo electionis expositum sic saepe erit recudendum, nec ante ad modos electionis procedat exercitans, quam penitus insitum animo habeat, nihil aliud intendere quam servire Deo ejusque toto corde amplecti divinum beneplacitum et voluntatem.

Modi autem electionis amplam et utilissimam meditandi materiam suppeditabunt; sed meditationes illae ita cum meditationibus de Mysteriis alternent, atque iis intermisceantur, ut mutuo se invicem juvent.

Tria tempora

Ad faciendam sanam et bonam electionem in unoquoque ex illis

Tria illa tempora frustra tentabit, qui non abjectis omnibus omnino inordinatis affectionibus, ulli cuicumque extra purissimum Dei servitium ac laudem rei adhaeserit. Ideo S. P. non solum ab ipso Excercitiorum Fundamento, ut vidimus, sed et per totam secundam hebdomadam vires suas omnes exeruit, ut quidquid felicissimae illi intentionis puritati posset officere, prorsus tolleret e medio. Cum autem initium non solum omnis peccati, sed et omnis non bene ordinatae affectionis superbia sit, ab ipsa contemplatione de Regno Christi, imitandum Christum in ferendis injuriis et omni vituperio exercitanti proposuit; secundo autem loco et paupertatem etiam actualem exhibuit; utque ad eam animam inflecteret, utpote ad sortem pretiosissimam, addidit : *si Majestas tua sanctissima voluerit me eligere ac recipere ad talem vitam ac statum*. Et haec quidem, ut vidimus in omnibus priorum quatuor dierum Exercitiis prosequitur S. P. Qui autem in tertia Binariorum classe firmiter consistit, nullum amplius habet af-

fectum ad quidquam vel retinendum, vel relinquendum; atque is solus sincere *coram Deo et omnibus Sanctis,* ut dicitur in secundo praeambulo se sistet *ad desiderandum et cognoscendum id quod gratius sit divinae suae Bonitati :* solus enim ille id desiderabit, quod solum amare poterit; solus etiam et illud cognoscet, quia solus fucum sibi non faciet, nec Deum ad se trahet, accipiendo pro divina vocatione, eam quae sua sit ac suis affectibus ad seipsum ordinatis respondeat; solus tandem etiam erit qui magnas a Deo gratias accipere mereatur et ad magna assumi : « Fili, oportet te dare » totum pro toto, et nihil tui ipsius esse. » Scito quod amor tui ipsius magis nocet tibi » quam reliqua res mundi. » (Thom. Kemp. III, 37). Qui autem proprio sui ipsius amore se penitus expoliaverit, ut solum divinum servitium et laudem, immo et quod gratius sit divinae Majestati quaerere et exequi intenderit, hunc profecto, hunc infallibiliter Deus illuminabit, et ad optima conducet.

Primum electionis tempus

Ad faciendam sanam et bonam electionem

Sana erit electio, quae nullis affectionibus aut male aut non recte ac pure ordinatis,

inficietur; *bona* autem erit, si sana fuerit et ex rationis fideique principiis deducta; et consequenter si divinae voluntati aut beneplacito fuerit conformis.

Primum tempus est, ait S. P., *quando Deus Dominus noster ita movet et attrahit voluntatem, ut, quin dubitet, nec dubitare possit talis anima devota, sequatur id quod (sibi) ostensum est, quemadmodum S. Paulus et S. Matthaeus fecerunt in sequendo Christo Domino nostro.*

Hoc primum tempus a duobus reliquis est penitus distinctum ac diversum. In tribus quidem gratia, seu supernaturale lumen et auxilium interveniat necesse est. *Sine me,* aiebat Christus, *nihil potestis facere.* Sed duplicis generis supernaturalis est interventio; alia solita, alia insolita et miraculosa; alia alliciens, alia vim dulcissimam faciens et trahens voluntatem. De sola hac ultima in primo tempore agitur, estque rarissima, nec expetenda aut imploranda.

De tractione divina loquitur S. P. in Annotatione decima quinta; sed, quamvis ibidem tractionem miraculosam non excludat, tamen, quantum verba sonant, de ordinaria plus minusve forti tractione, quae ibidem dicuntur, videntur esse intelligenda. *In talibus Exercitiis,* ait S. P. *convenientius est et multo*

melius, quaerendo divinam voluntatem ut ipse Creator ac Dominus animae suae (sibi) devotae se communicet, eam amplexans in suum amorem ac laudem, eamque disponens ea via, qua melius poterit ei deinceps servire. Pertinent haec potius ad secundum tempus electionis, ut patet ex vocibus : *eam amplexans* et *disponens;* quae magnam quidem, sed allicientem tantum vim supponunt, non miraculosam et aliquo modo irresistibilem.

In primo autem hoc tempore de vera et supernaturali revelatione et tractione agitur : non allicit enim tantum hic Deus, sed *movet* ipsemet non intellectum aut sensibilitatem tantum, sed *voluntatem,* ita ut faciat velle; immo Omnipotens *trahit* voluntatem, ita ut voluntas non possit fere ei resistere; quod exprimit S. P. dicendo : *movet* et *trahit,* ut *anima devota* SEQUATUR, *id quod sibi ostensum est. Ostensum est :* ergo revelatio Dei hic intercedit. Quod autem Deus ipse revelet, manifestum est ex verbis : *quin dubitet;* immo addit : *nec dubitare possit :* quae ultima verba omnino perpendenda sunt : nam ut tempus hoc primum certo adsit, requiritur ut non solum verbo aut visione aliqua suam voluntatem Deus revelet, sed et revelet seipsum esse qui loquitur, ita ut nulla aut diaboli aut ima-

ginationis possit interesse deceptio, sed aeque certa sit anima, et de praesentia Dei, et de ipsa revelatione, ac de neutro possit dubitare. Sic per immediatam et internam illuminationem ac motionem ex parte Dei, certo et sine ulla possibili dubitatione Beatissima Virgo scivit Gabrielem sibi apparentem esse verum Dei Archangelum, ad se ex parte Dei venientem; sic et S. Joseph eodem divino ac interno lumine, quamvis esset in somnis, certo et sine dubii possibilitate scivit Angelum Dei nuntium sibi apparere, ac nomine Dei sibi imperare. Idem dicendum de S. Ignatio, cum Pater aeternus ac Jesus crucem ferens ipsi apparuere, ac fundatam ab eo Societatem approbavere; idem et de Sanctis Aloysio et Stanislao, quorum alter voce e tabernaculo prodeunte, alter voce ipsius B. Virginis sibi apparentis ad Societatem Jesu divinitus vocatus est.

Ex his patet quam saepe praetensae illae revelationes animarum sibi plus aequo confidentium sint explodendae, et quanta hic cum cura et circumspectione regulae de discretione spirituum sint applicandae. Non nisi valde humilibus et obedientibus ita Deus extraordinarie se revelat. Ipsa Theresia humillima illa et obedientissima Virgo, de veritate veris-

simarum suarum apparitionum non sibi confidebat; immo cum anxiosa formidine rebatur eas forte esse a diabolo. Quam igitur caute procedendum, cum iis (mulierculis praesertim) qui a tanta vitae sanctitate longissime absunt!

Affert S. P. duo supernaturalis vocationis exempla e Scripturis deprompta, S^ti^ Pauli videlicet et S^ti^ Matthaei. Paulus quippe, apparente sibi Christo et dicente : *Ego sum Jesus, quem tu persequeris,* subito quasi ictu fulguris prosternitur, et ex persecutore vas electionis et ardentissimus Christi Apostolus efficitur. De admirabili hac conversione materiam contemplationis non sine magna utilitate exercitanti parare poterit Instructor. — Jesum, antequam ab eo audiret : *Veni, sequere me,* jam noverat et amabat Matthaeus, ut vidimus, et ad eum anhelabat.

Secundum tempus

Secundum tempus, ait S. P., *quando sumitur (percipitur) multum claritatis et cognitionis per experientiam consolationum et desolationum, et per experientiam discretionis diversorum spirituum.*

Hoc tempus, sicut et primum, in motione et attractione divina consistit, sed ab eo supernaturalis revelatio personalis et miraculum

excluduntur. Dixi : revelatio *personalis;* nam omnia electionis tempora revelationibus quas Christus in Evangelio omnibus fecit hominibus, innituntur. Interea quamvis motiones et tractiones in hoc secundo tempore ad revelationem et miraculum usque non pertingant, eo tamen plus minusve propter immediatam cum Deo communicationem accedere possunt; quod non obscure innuit S. P. in fine ultimae Annotationis, cum ait : *Quanto magis anima nostra reperit se solam et segregatam, tanto se reddit aptiorem ad appropinquandum Creatori ac Domino suo* (audi nunc varios gradus per quos etiam ad miraculum ascendi potest :) *et quanto magis ita cum attingit, eo magis se disponit ad suscipiendas gratias ac dona a sua divina ac summa Bonitate.* Dona enim haec vel ordinaria esse possunt, vel extraordinaria.

Quando, ait S. P., *sumitur multum claritatis et cognitionis. Claritas* lumen est quod a Spiritu Sancto in consolationibus effunditur, ut dignosci possit et *cognosci* inter varios status, quis sit ad quem Deus nos vocet, atque in quo et majorem Deo gloriam daturi simus, et certius ac uberius saluti nostrae prospecturi. S. P., ut patet ex autographo et ex antiqua versione manuscripta, vult ut habeatur, non *satis clarum compertumque divinum beneplacitum,* prout

legitur in vers. vulg., sed *multum claritatis et cognitionis*. Atque hic emicat iterum hausta caelitus et ingenita simul S. Fundatoris sapientia. Cum enim, non de operationibus intellectus, sed de motionibus sensibilium consolationum agatur, et non semper facile constet utrùm a bono an a malo spiritu veniant, in hisque apertus illusionibus campus facile pateat, merito exigit S. P., ut *multum claritatis et cognitionis* ab exercitante hauriatur, et adjuvetur hic a Directore per applicationem regularum discretionis spirituum.

Hinc patet non sine judicio auctores illos esse audiendos, apud quos legitur eos qui se sentiunt ad vitam religiosam, ut perfectissimam, attractos, debere aut posse, tale vitae genus illico et sine ulteriore indagatione de facto amplecti. Haec sententia soli primo electionis tempori, ideoque nunquam fere, convenit. Extra illud, non sine summa imprudentia teneretur : in re enim tanti momenti, nisi quis se velit periculo poenitendi et susceptam vocationem deserendi exponere, *multum* ante claritatis et cognitionis requiritur.

Quid dein de eorum opinione dicendum, qui tenent ei etiam vitam religiosam esse amplectendam, qui ad eam ab ipso daemone

impelleretur? Respondeo esse distinguendum : si aliunde non constet vocationem divinam esse et consequenter subjecto convenire, spernenda omnino est suasio diabolica, et facienda est juxta regulas electio. Si aliunde de vocatione ad vitam religiosam constet, fiat quod dicit diabolus, non quia diaboli, sed quia Christi consilium est. Fieri enim potest ut ex errore diabolus qui futura, non ex scientia, sed ex subtili conjectura novit, et non nisi malum intendit, rem quae bona est, sed quam male cessuram conjicit, cum bene cessura revera sit, cum malo fine suadeat. Cavendum igitur quam accuratissime, ne, propter intrinsecam status religiosi perfectionem, sine vera vocatione, imprudenter in illam, sine fundata perseverantiae spe, propter quosdam bonos animae motus, incurratur. Namque non sine causa inter virtutes cardinales annumeratur prudentia.

Unde, juxta S. P. N., multum claritatis et cognitionis hauriet qui statum est electurus? Ex duplici et omnino distincto fonte, seu ex duplici experientia; nimirum

1° *Per experientiam consolationum et desolationum.* In ipso quem Regulis de discr. spir. titulo praemisit S. P., duplex de qua hic mentio fit, insinuatur experientia. Titulus sic

sonat : *Regulae ad sentiendum et cognoscendum aliquo modo motiones quae in anima excitantur :* haec prima est in ordine cognitionis experientia : altera sequitur in ordine ad agendum : *bonas, ut suscipiantur, malas ut rejiciantur.* Uno verbo aliae regulae ostendunt quis spiritus, bonus an malus, in variis motibus agat et quomodo in animam; aliae quid sit agendum ubi actio, sive boni, sive mali spiritus innotescit; de utraque parte facienda experientia est; et primo quidem, quando est status eligendus, praesertim religiosus et apostolicus, quem maxime S. P. in integris Exercitiis intendit.

Multum claritatis et cognitionis percipi potest per experientiam consolationum et desolationum. Fieri potest, quamvis hoc rarissime accidat iis qui animose et cum ea de qua in quinta Annotatione Exercitia liberalitate obeunt, ut quis fere nec consolationes nec desolationes percipiat; talis, hoc secundo electionis tempore omisso, recurret ad tertium. Ubi autem motiones in anima adsunt, ut deceptioni diabolicae nullus locus detur, ante omnia, valde attendendum utrum consolatio a Deo sit, an a diabolo; item an desolatio a Deo vel a diabolo; utraque enim fieri possunt, ut patet ex quatuor prioribus regulis discr. spir. pro pri-

ma hebdomada et ex regulis quarta, quinta et sexta pro secunda hebdomada. Neque exercitanti sufficiat, si ipsemet ope regularum examinet an a Deo vel a diabolo diversae illae motiones veniant; necesse est propter nativam nostram in rebus nostris caecitatem et illusionem, ut Directori, juxta Annotationem decimam septimam motiones animae aperiat. Ita enim ibi loquitur S. P. : *Multum conducit ut qui tradit Exercitia... fideliter certior fiat de variis agitationibus et cogitationibus, quas diversi spiritus ei immittunt.*

Supponamus jam, adhibitis quae modo diximus, certo innotescere consolationes esse a Deo, et desolationes a diabolo; quid tunc requiretur ut multum adsit claritatis et cognitionis ad divinam voluntatem detegendam? An sufficiet, ut censent quidam Auctores, unum experimentum? Nequaquam hujus sententiae est S. P.; non ex uno aut duobus experimentis multum claritatis hauriri posse existimat, sed ex *experientia* seu ex sufficiente experimentorum successione. Hoc praeclare notat R. P. Roothaan dicens. « Quod hoc loco habet vul-
» gata versio : *docente id aliquo consolationum...*
» *experimento, aliquo* deest in Autographo :
» neque enim existimandum est, unum alte-
» rumve solum consolationis vel desolationis

» experimentum sufficere posse. Frequens hu-
» jusmodi requiritur experimentum, ut ex eo
» *multum* habeatur *claritatis et cognitionis,* ad
» electionem concludendam in hoc secundo
» tempore. S. P. etiam non dicit *experimentum,*
» sed *experientiam,* quae plura experimenta
» facta seu habita esse supponit. » Ex his apparet, quantopere, si ipsa Exercitiorum verba attenta perscrutatione perpendantur, Sancti Fundatoris sapientia eluceat.

Ut clarius appareat quomodo ex illa experientia lumen et cognitio luculenter oriantur, ponamus exemplum, illud scilicet quod procul dubio S. Ignatius in mente habebat.

Anceps haereo, utrum vel vitam religiosam et apostolicam amplectar, vel in saeculo remaneam. Occurrunt mihi in Exercitiis, modo consolationes, modo desolationes. Modo incipit anima mea motione interiore inflammari amore Dei, ita ut nullam rem creatam amare valeam nisi in Creatore; vel fundo lacrymas ad eumdem divinum amorem moventes, vel intime sentio augmentum spei, fidei et charitatis, vel tandem pacificantem et internam sentio laetitiam, quae me attrahit ad caelestia. Porro in praedictis his omnibus motionibus, ubi certo a Deo veniunt, sentio me ad vitam religiosam et apostolicam semper

attrahi; atque inde, cum in vera consolatione bonus moveat spiritus, concludo ex omnibus istis experimentis vocationem non posse esse nisi a Deo. Modo e contrario fluctibus desolationum obruor; caelum animae modo quasi splendoribus solis justitiae rutilans atris repletur nubibus; paci successit perturbatio; invenio me sine spe, sine amore; taedio mihi fit contemplatio; taedio mihi quasi fit ipse Deus; et, quod pejus est, tentationes etiam carnis me undique invadunt, moveorque ad res infimas ac terrenas; inde recessisse a me videtur erga Deum liberalitas, et quae paulo ante jucunda ac facilia mihi videbantur, jam ut amara et impossibilia apparent; quantum mihi optandus status religiosus et apostolicus videbatur, tantum mihi parit nunc taedii et horroris. Unde haec, nisi ex eo quod sensibilis Dei amor, qui levia omnia facit, a me recessit? at ecce quartam de discr. spir. regulam de desolatione relegens video in hoc statu agi me spiritu malo, qui me a vocatione mea amovere per tristitiam conatur; cumque contraria semper iis quae bonus spiritus suaserat inspiret, concludo ex hac sola cognitione non infirmari per diabolicas suggestiones, sed confirmari suasiones boni spiritus. Sic jam ex solis consolationum et desolationum expe-

rimentis non parum claritatis affulsit et cognitionis.

2. Claritas autem magnum iterum incrementum ex altera experientia, scilicet, discretionis diversorum spirituum, accipiet, si practicas a S. Ignatio regulas in diversorum spirituum discretione observandas fideliter executioni mandaverit exercitans.

Totum hic in eo consistit, ut exercitans dominium suiipsius in motionibus, desolationum praesertim, conservet. Ast hoc opus, hic labor est. Difficile enim admodum homini est impressiones, sive sensuum, sive animae, ita moderari, ut ratio iis semper dominetur easque dirigat. Jam vero S. P., vir ille rationis ac fidei, in omnibus semper eo tendit, etiam in consolationibus, ut ratione, quae humanarum facultatum princeps est ac gubernatrix, primae partes tribuantur. Sic in reg. 10 exercitanti, tempore consolationis, praescribit *ut cogitet quomodo se habebit in desolatione, quae ei superveniet;* praescribit pariter ut *procuret humiliare sese atque deprimere, quantum potest, cogitando quam parum valeat tempore desolationis*. Si enim haec duo exercitans fecerit, amorem illum, quo in consolatione ardet in Deum, non sibi attribuet, sed totum ut donum et gratiam Dei Domini nostri agnos-

cet, nec intellectum in vanam complacentiam efferet, qua vel inficeretur, vel etiam tolleretur divina consolatio; immo et, juxta quintam pro secunda hebdomada regulam facile fieri posset, ut quae consolatio divina in principio fuerat, fieret in medio vel in fine falsa mali spiritus illusio, atque ex ea, non jam claritatem et cognitionem, sed confusionem et errorem homo hauriret. Idem omnino consilium in consolatione dat Th. Kemp. L. II. c. IX : » Quid magni est, si hilaris sis et devotus » adveniente gratia? Optabilis cunctis haec » hora; satis suaviter equitat, quem gratia Dei » portat. Et quid mirum si onus non sentit, qui » portatur ab Omnipotente?.. Noli extolli, » noli nimium gaudere, nec inaniter praesumere; sed esto magis humilior ex dono, » cautior quoque et timoratior in cunctis actibus tuis : quoniam transibit hora illa, et » sequetur tentatio. » Hujus humiliationis exemplum praebuit Ignatius. Non equidem ignorabat mirabiles suas ecstases, lacrymas, raptus ac visiones; sed semper peccatorum suorum memor, ita inter dona illa se deprimebat ut putrefacto se et corroso a vermibus ligno similem arbitraretur, cui Deus aurum illevisset : atque sic nova semper lumina donaque caelestia sibi demerebatur.

Ita se in consolatione deprimere alicui forte satis facile videbitur; at nemo diffitebitur firmiter in desolatione consistere, nec aliquid de sua fiducia, fidelitate, constantia amittere opus esse durissimum et difficillimum. Ideo S. P. in proponendis mediis quibus vincat desolationes exercitans, easque in veros claritatis et cognitionis fontes convertat, maxime insistit.

Cum id desolationibus proprium sit ut pro claritate tenebras animae infundant, atque in tenebris cognosci ac videri nihil possit; cumque praeterea desolationis tristitia per se omnem animi vigorem tollat, jubet S. P. ut in hoc statu constitutus exercitans faciem minime retro convertens firmus stet, donec lumen denuo affulgeat : neque quidquam in iis, quae ante sub instinctu boni spiritus conceperat, immutet, *quia,* ut ait in quinta regula, *sicut in consolatione nos magis ducit et consilio suo dirigit bonus spiritus, ita in desolatione malus, cujus consiliis non possumus ingredi viam ad recte quid agendum.* Sed nequaquam desolatus in praecedenti determinatione persistet, nisi sextae regulae experientiam fecerit : scilicet, mutando, non priora proposita, sed seipsum, ut pugnet contra desolationem, v. g. insistendo magis orationi, meditationi, *multum me exa-*

minando (circa fidelitatem in exercitiis et additionibus) *et extendendo me magis (amplius quid agendo) in aliquo convenienti modo faciendi poenitentiam*. Haec illa est *experientia* discretionis spirituum de qua secundo loco agit S. P. In his quasi tota ignatiana doctrina practica continetur : solutus scilicet ab impedimentis sensuum, age secundum rationem et vince teipsum. Si experientiam illam acquisierit exercitans, non modo ei non nocebit desolatio, sed plures in ipsis desolationum tenebris faciet passus quam in consolatione. Immo et aliud summi momenti in vita spirituali emolumentum consequetur, videlicet sibi et in consolatione per humilitatem, et in desolatione per constantiam imperans, ad vitam semper rationi consentaneam, et ad felicem illam aequanimitatem, per quam constantem se in variis eventuum vicissitudinibus et quasi immotum servabit, perveniet.

Ubi exercitans sufficientem per multa experimenta experientiam, tum consolationum et desolationum, tum discretionis spirituum adeptus fuerit, poterit, quin incurrat imprudentiam, hoc secundo tempore, concludere electionis negotium. Prudenter enim et juxta rationis dictamen procedit, qui spiritum Dei, ubi hic manifestus est, sequitur. Ast cum mo-

tiones animae sensibiles, et illusionibus pateant, et multis, praesertim post Exercitia, mutationibus sint obnoxiae, ei etiam qui per secundum tempus electioni operam dedit, suadendum videtur, ut tertium etiam tempus adhibeat, idque pluribus de causis praeter modo insinuatas : 1. quia sic contra ingruentes desolationes obfirmabitur : 2. multo profundior in eo erit animi convictio, si deductis ex ratione et fide argumentis fulciatur, et cum affectibus ratio ipsa directe conspiret; ac proinde, 3. certior erit, mediis etiam in difficultatibus et tentationibus, perseverantia.

Tertium tempus

Primum tempus divinae revelationis et tractionis dici potest; secundum, divinae motionis; tertium rationis fide illuminatae.

Tertium tempus, ait S. P., *est tranquillum, (quando considerans (quis) primo, ad quid natus sit homo, scilicet, ad laudandum Deum Dominum nostrum et ad salvandam animam suam : et hoc desiderans, eligit ut medium (ad hunc finem) vitam aliquam, seu statum intra limites Ecclesiae, ut (eo) juvetur in servitio Domini sui, et salvatione animae suae.*

Dixi tempus tranquillum, quando anima non

agitatur diversis spiritibus, et potentiis suis naturalibus utitur libere et tranquille.

Bene notetur explicatio tranquillitatis quam ipsemet tradit S. P. Exigit quippe ut anima *non agitetur* diversis spiritibus. Quo sensu autem agitatio illa accipienda sit, patet ex sequentibus explicativis vocibus : *et potentiis suis naturalibus utitur libere et tranquille;* sufficit igitur talis animae libertas et tranquillitas quae liberum naturalium potentiarum usum non impediat. In primo tempore, in quo et intellectus percellitur et divinitus voluntas attrahitur, certe non est illi tranquillitati locus. In secundo autem distinguendum est. Si tantae sint internae motiones, ut liber et tranquillus potentiarum usus impediatur, impedietur et tertium tempus, v. g. si anima incipiat ardenter inflammari in amore Dei, aut fundantur moventes ad amorem Christi Domini lacrymae. Si autem consolatio in augmento spei, fidei, et charitatis et in moderata quae ad res caelestes animam invitet laetitia consistat, poterit liber facultatum usus minime inde impediri; ipsamet pax animae quam tertium tempus exoptat, internam habet laetitiam quae suavitate exsuperat omnem sensum; verbo, consolatio aliqua, modo liberum potentiarum usum patiatur, tertio tempori

non obstat. Ast ubi de desolatione agitur, aliter se res habet. Tantopere enim anima vera desolatione afficitur, ut multum fieri S. P. existimet, si proposita praecedenti consolationis tempore concepta non immutentur. Idem consilium dat Spiritus Sanctus (Eccli. II, 2) : *Ne festines in tempore obductionis. Sustine sustentationes Dei : conjungere Deo et sustine,* (en nunc fructum istius sustentationis) : *ut crescat in novissimo vita tua.* Descriptione ipsa quartae reg. disc. clarius sole ostenditur liberum potentiarum usum cum desolatione consistere non posse : *Voco desolationem...* OBTENEBRATIONEM *animae et* TURBATIONEM *in illa, motionem ad res infimas et* TERRENAS, *inquietudinem variarum agitationum* et *tentationum, moventem ad diffidentiam, sine spe, sine amore, cum se reperiat (anima) totam* PIGRAM, *tepidam,* TRISTEM, etc. Neque solum hic desolatio rationem et voluntatem aggravat, sed et evidenti periculo exponit deliberandi sub inspiratione mali spiritus.

Considerans primo, ad quid natus sit homo. Primo, scil. ante omnia, considera, ut necessarium et absolutum omnium tuarum deliberationum principium : Ad quid natus sit homo. In omnibus respice finem. Porro finis ille a S. P. uno verbo hic designatur : *Laus*

Dei Domini nostri, unde procedit salus animae nostrae; ex quo loco iterum patet S. Ignatium et *laudem* et *gloriam* Dei sine ullo discrimine adhibere. Ne iterum miremur eum et hic bis in eadem phrasi finem illum repetere; nam ipsa repetitio facta ab homine verborum parcissimo rei momentum exprimit; et re quidem vera, in hoc fine totius negotii electionis cardo est; si enim practice finis ille unice teneatur, non poterit exercitans, modo sit idoneus et dignetur eum vocare divina Majestas, non vocationem religiosam et apostolicam eligere, utpote quae prae ceteris omnibus per se majorem Dei gloriam implicat. Jam vero ad id Ignatius a Fundamento eum praeparavit : *unice desiderantes et eligentes quae magis conducunt ad finem,* scilicet, ad laudem Dei Domini nostri : praeparavit et in meditatione de Regno Christi : *insignes se exhibere in omni servitio Regis sui aeternalis;* praeparavit et in meditatione de duobus Vexillis et de Binariis. *Considerare quomodo universi mundi Dominus eligit tam multas personas, Apostolos, Discipulos, etc.;* praeparavit et per contemplationem vocationis Apostolorum, etc. Hic autem nil tale innuit, exercitantem divinae communicationi et proprio labori committens; in genere tantum dicit; *vitam aliquam,*

seu statum intra limites Ecclesiae, sicque ipse suum praeceptum adimplet : *Ita ut qui tradit Exercitia, non divertat, neque se inclinet ad unam neque ad alteram partem* (ANNOT. 15).

Si in primo, ait S. P., *vel secundo tempore non fit electio, sequuntur circa hoc tertium tempus duo modi ad illam faciendam.*

Primus modus

Ad faciendam sanam et bonam electionem continet in se sex puncta

Primum punctum *est, proponere mihi rem, super qua volo facere electionem; verbi gratia, officium vel beneficium, quod acceptandum sit, vel relinquendum, vel aliam rem quamcumque, quae cadat sub electionem mutabilem.*

Proponere mihi rem super qua, etc. Est hoc quasi primo ponere statum quaestionis antequam res discutiatur. Dat S. P. exemplum : acceptare beneficium, vel illud relinquere, quae duo sunt inter se opposita, et satis innuunt evangelicam paupertatem, quin eam verbis designent : *vel relinquendum.*

Vel aliam rem quamcumque, quae cadat sub electionem mutabilem. Quae vox *mutabilem* non respicit faciendam nunc electionem; sed elec-

tionem ante factam nunc forte mutabilem : nam electioni ante factae, si est mutabilis, suffici poterit electio non mutabilis, v. g. sacerdotium, aut vota religiosa.

Si exercitans initiatus est sacerdotio, electionis status materia nulla esse poterit, quam beneficium vel retinere, vel relinquere ut vitam religiosam amplectatur.

Si autem liber est, scilicet nec matrimonio nec sacerdotio ligatus, 1. Erit inquirendum, utrum vel matrimonium contrahere, vel sacrum vitae statum inire debeat. 2. Si hanc secundam partem elegerit, inquirendum erit, an velit Deus eum esse sacerdotem in saeculo, vel vitam amplecti religiosam.

Vel aliam rem quamcumque. Hic solerter admonet P. Roothaan regulas a S. P. positas non status vitae tantum electioni, sed et cujuscumque alius rei faciendae electioni convenire. Sic enim ait : « Ex his verbis patet » regulas illas ad faciendam bonam electio- » nem, non restringi ad solam electionem sta- » tus, sed ad alia *quaecumque,* quae in delibe- » rationem venire possunt, pertinere. Et vero » uterque *modus,* quem hoc loco S. P. accu- » ratissime tradit, omni homini spirituali » suae perfectionis studioso, maxime vero Su- » perioribus religiosis, familiaris esse debet,

» *ut ad* MAJOREM *Dei gloriam* se suaque ac suos » dirigant. Novimus etiam sanctum Parentem » hisce electionis modis perpetuo usum fuisse, » cum Constitutiones Societatis conscriberet, » itemque cum de negotiis gravioribus deli- » beraret. « Praeclara habemus exempla hu- » jusmodi deliberationum in Historia Socie- » tatis, v. g. P. 1. Lib. 2, n. 59 et seqq., ubi » describitur qua ratione inter primos patres » per electionis modum disceptatum fuit, es- » sentne vinculo obedientiae inter se conjun- » gendi ac ligandi, necne : cujus quidem de- » liberationis documentum egregium exstat, » ab omnibus illis Patribus subscriptum, quod » miro plane modo post Societatis cladem » repertum, ac domui nostrae restitutum, in » Sancti Patris sacello asservatur ac visi- » tur. »

Secundum punctum, *necesse est tenere pro objecto finem ob quem creatus sum, qui est, ut laudem Deum Dominum nostrum, et salvem animam meam; et simul invenire me indifferentem, sine affectione ulla inordinata, ita ut non sim magis inclinatus, neque affectus (magis) ad acceptandam rem propositam, quam ad eam relinquendam, neque magis ad relinquendam illam, quam ad acceptandam; sed ut me inveniam velut in stilo staterae (in aequilibrio), ad sequendum id quod sensero esse magis*

in gloriam et laudem Dei Domini nostri et salvationem animae meae.

Quam logice et clare procedit S. P.! Ubi res, super qua facienda est electio, nitide definita est et determinata, antequam fiat disceptatio inter unum et alterum, examinat utrum in exercitante duo, quae ad illam rite faciendam requiruntur, adsint necne : si nondum adsint, standum est donec habeantur; secus electio bona et sana, qualem eam vult S. P., incassum tentaretur; idque non tantum in Exercitiis, sed etiam extra, semper est observandum. Frustra juvenis vocationem suam inquiret, praesertim si sit ad vitam religiosam idoneus, nisi duplicem, de qua in hoc puncto, conditionem in se impleverit. Hinc director non sinat eum examen utriusque partis ante instituere, quam praescripta in hoc puncto perfecte fuerit assecutus.

Duo illa quaenam sunt? 1. *Necesse est* (non dicit : convenit, aut etiam valde prodest, sed) *necesse est,* ut conditio sine qua non, *tenere* (non dicit habere, sed *tenere,* ita ut figatur et ante examen et toto examinis tempore oculus in hoc unum) *pro objecto* scilicet pro sola re quae oculis objiciatur, *finem ob quem creatus sum :* quidquid enim ad eum finem, qui unicus est, non tenderet, esset inordinatum, et

consequenter nec sanam nec bonam pareret electionem. Finem autem illum etiam centies repetere non taedet Ignatium, nam in eo est totus homo : ut *laudem Deum Dominum nostrum, et salvem animam meam.* Si finem hunc unice prosequor, neque ratio mea in ratiocinando errabit, neque eam, propter meam fidelitatem et puram ejus servitii intentionem, Deus errare patietur.

2. Hunc autem finem nec recte prosequar, nec certo in electione verum attingam, nisi ad cetera omnia fuero indifferens et quasi mortuus. Quapropter necesse item est *simul invenire me indifferentem, sine ulla affectione inordinata. Simul :* nam, nisi habuero istam indifferentiam, potero quidem velle servire Deo et salvare animam meam; impius enim non sum et nolo damnari, sed propter affectionem etiam simpliciter non perfecte ad finem ordinatam, quaeram cum Deo creaturam; inde nec pura, nec sincera mea erit electio : immo magnum erit periculum ne divinis desim consiliis, et imperfectiora sequar. *Video meliora proboque,* aiebat poeta, *deteriora sequor.*

Invenire me indifferentem : non amplius, ut in fundamento dicitur, *facere me indifferentem,* sed *invenire :* supponit enim S. Pater, et merito, exercitantem ita vicisse seipsum per

primam et secundam hebdomadam et eo pertigisse, ut revera se fecerit indifferentem, non necessario quoad sensum, sed quoad voluntatem, et hujus suae indifferentiae conscientiam habeat.

Quod diximus de indifferentia voluntatis, id et de affectione inordinata dicendum est. Non enim requiri potest, ut quis nullam in sensu inordinationem patiatur, quod a natura, ut nunc est, vix potest separari; sed sufficit voluntas ita sui victrix, ut nulli sensibili inordinationi consentiat.

Explicat dein S. P., qualis illa debeat esse indifferentia : *non magis inclinatus, etc.* Supponitur enim electionem sola ratione fieri. Ex quo falso concluderes exercitantem semper conniti debere ut quoad utramque partem se habeat omnino indifferentem. Ad quid enim S. P. de indifferentia est tantopere sollicitus, nisi ut affectio aliqua non bene ordinata non impediat quominus id eligatur, quod exercitans *senserit,* ut in fine hujus puncti dicitur, *esse magis in gloriam et laudem Dei Domini nostri et salvationem animae?* Hoc sensu in nota quae meditationi de Binariis subjicitur, sequens consilium dat : *quando nos sentimus affectum, vel repugnantiam contra paupertatem actualem, quando non sumus indifferentes ad paupertatem*

vel divitias, multum juvat ad extinguendum talem affectum inordinatum, PETERE *in colloquiis (etiamsi sit contra carnem), ut Dominus ipsum eligat ad* PAUPERTATEM ACTUALEM, *et protestari se id velle, petere et supplicare.* Ad aequilibrium enim indifferentiae, non requiritur ut quis conetur affici erga divitias potius quam erga paupertatem actualem; nam per se et proprio suo pondere ad hoc inclinat; sed requiritur ut secum acriter saepe colluctetur ad amandam supra divitias paupertatem a qua natura abhorret : hoc ut obtineat, nil non movit S. P. in meditationibus de Regno Christi, de duobus Vexillis, de Binariis, de Nativitate et aliis Mysteriis.

Ergo si quis vel ex secundo tempore electionis, vel aliunde ex amore Christi magis ad paupertatem cum Christo paupere inclinet, aut simpliciter ob majus Dei servitium et certiorem salutem, non debet hic ullo modo laborare, ad aequilibrium, ut paupertatem non amet, et e contra amet divitias; esset enim in hoc stultitia et contradictio contra Christi consilia; aequilibrium ad hoc quaeritur, ut meliora, non ut pejora eligi possint, *dummodo majus sit servitium et laus divinae Majestatis et Bonitatis.*

Qui autem jam per secundum eligendi tem-

pus processit, et vult scire, utrum per tertium tempus ad eamdem conclusionem sit venturus, poterit ab omni affectu ad paupertatem *mentem abstrahere,* ut solam ducem sequatur rationem et fidem.

Si vero quis paupertatis ac vitae religiosae cupidus, non esset ad eam idoneus, aut ratione ipsius divini servitii ab ea prohiberetur, ac propter haec in Ordine religioso non admitteretur, neque is deberet cor ad divitias inflectere, sed spiritualem paupertatem toto corde sectari.

Tertium punctum, *petere a Deo Domino nostro, ut velit movere voluntatem meam, et ponere in anima mea id quod ego facere debeo circa rem propositam, quod magis sit in laudem et gloriam suam, discurrendo (i. e. ut discurram) bene et fideliter intellectu meo, et eligendo (et ut eligam) conformiter ad suam sanctissimam et beneplacentem voluntatem.*

Nihil in ordine supernaturali, etiam cum naturalibus facultatibus utimur, sine divinae gratiae auxilio possumus : *Sine me nihil potestis facere.* Si hoc in omni re verum est, certe id maxime locum habet, ubi de re quae summum momentum et ad Dei gloriam et ad salutem nostram obtinet, nempe de vocatione, et praesertim de religiosa et apostolica voca-

tione, agitur, quam maxime hic S. P. intendit. Hic igitur executioni mandanda est vox Christi : *Petite, et accipietis; quaerite, et invenietis*. Hic, si unquam, *petendum*, ut bene *quaeratur* et *inveniatur*. Duo enim hic exercitanti praestanda sunt : *discurrendum* primo est, et secundo, *eligendum*. Porro ad utrumque requiritur Dei gratia; gratiam autem suam orationi promisit Deus. *Petite et dabitur vobis*.

Sive discursus, sive electio spectetur, neutrum fieri potest sine gratia, quae et intellectum illuminet, et voluntatem moveat ac roboret. Vult enim S. P. ut *bene* et *fideliter* discurratur. 1. *Bene* intellectu suo discurret is, qui veris principiis innixus et ab errore immunis, veras conclusiones deducet; quae si in quaestionibus mere speculativis facilia sunt, non sunt admodum in rebus practicis facilia.

Fideliter discurret, qui occlusis amori proprio auribus, id unice invenire intendet, quod sit, ut ait hic S. P., *magis in laudem et gloriam Dei*. Porro ut quis ita fideliter discurrat, perfectam habeat sui ipsius abnegationem necesse est; quod sine magnâ Dei gratia procul dubio habere non poterit.

2. *Si electio* ipsa spectetur, quomodo sine singulari Dei auxilio, eo generosae voluntatis quis veniet, ut abdicatis forte suis omnibus

divitiis, pauper pauperem Christum sequatur, ac totum se Dei gloriae mancipet et saluti animarum?

Ad haec rite praestanda, S. P. in hoc puncto implorandum proponit Dei auxilium. Mirum forte cui videbitur quod non lumen in hoc tempore electionis, quod totum in lumine rationis ac fidei videtur consistere, peti jubeat, sed gratiam voluntatis : *Petere a Deo Domino nostro, ut velit movere voluntatem meam.* Hujus rei ratio est, quod non nisi per imperium voluntatis *bene* ac *fideliter* discurrat intellectus, in rebus praesertim, a quibus et sensus et natura quam maxime abhorrent.

Petit et aliud exercitans, scilicet : ut Deus *velit ponere in anima mea id quod ego facere debeo circa rem propositam, quod magis sit in laudem et gloriam suam.* « Illud : *ponere in anima mea,* ait » P. Roothaan, mira sua simplicitate se com- » mendat » : nec simplicitate sua tantum se commendat, sed mire rem illustrat; si enim id quod facere debeo ponat Deus in anima mea, et ipse velim id quod sit magis ad laudem Dei, illi Dei voluntati, dum intellectu discurro, ipsemet occurram, eamque intellectu ac voluntate amplectar. Sic cum divina gratia proprius hominis labor conspirat, sed gratia ita se occultat ut solus sibi homo perfecisse

se omnia videatur. Hinc persuasio profundior et jucundior : hinc et major cum perseverantia animi firmitas.

Nota quomodo S. P. etiam ad arduas vocationes alliciat per voces : *sanctissimam* (ideoque et maxime, etiamsi difficilia expetantur, toto corde exoptandam) *et beneplacentem voluntatem.*

Quartum punctum, *considerare ratiocinando quot commoda et utilitates mihi proveniant, si habeam officium vel beneficium propositum, ad solam laudem Dei Domini nostri, et salutem animae meae; et e contrario considerare similiter incommoda et pericula, quae sint in eo habendo, tantumdem faciendo in secunda parte, scilicet, videre commoda et utilitates in eo non tenendo, et similiter e contrario incommoda et pericula in eo item non tenendo.*

Materia electionis esse possunt, ut diximus, non solum quicumque vitae status intra fines Ecclesiae contenti, sed et res quaecumque agibiles. Potest rex, Papa, Episcopus, Parochus, Rector, Praefectus, Magister, etc., deliberare utrum hoc et hoc, seu ad privatum, seu ad commune bonum, facturus sit vel non.

Juxta methodum, quam hic S. P. proponit, non plures simul res componuntur et comparantur, sed una, ut in tertio puncto dictum

est; una, inquam, tantum in medium res adducitur, quae facienda sit vel non; *id quod ego debeo facere circa rem propositam;* haec unitas iterum in hoc quarto puncto exprimitur; nam de solo beneficio aut officio habendo vel non habendo agitur. Ex hac unitate et simplicitate fiet ratiocinatio facilior, lucidior et profundior: at si ex simplicitate illa vitatur confusio, quae ex rerum multiplicitate oriretur, et levitas considerationis, ex eadem simplicitate aliunde fieri poterit, ut plurimae res examinandae plurimis locum dent electionibus seorsim faciendis.

In hoc autem puncto et in his Exercitiis, cum ad id tendant Exercitia integra ut qui idonei sunt ad vitam religiosam et apostolicam, ad eam praeparentur ac disponantur, unum tantum materiae electionis exemplum proponit S. P., quod fini illi respondet. Non tamen, quod insignis prudentiae est, vitam religiosam dat in exemplum amplectendam vel non amplectendam, sed (nam supponit eum qui hucusque in Exercitiis pervenit, in sacrum statum propendere) *officium* (pastorale) aut *beneficium* ecclesiasticum habendum aut non habendum : si autem exercitans ab isto officio vel beneficio recedat, statim per se electioni ejus se offeret vita religiosa et apos-

tolica. Ad hunc enim statum per tota Exercitia S. P. eum disposuit.

Tota S. Patris ratiocinatio in hoc tertio tempore ad haec reducitur. Ubi res unica, scilicet materia rei vel eligendae vel non eligendae posita est, v. g. beneficium habendum vel non habendum, in utrumque sensum res subdividitur : scilicet 1. Si habeo hoc officium *a*) quot commoda et utilitates mihi provenient? *b*) quot e contrario incommoda et pericula? 2. Si autem non habeo, iterum *a*) quot commoda inde et utilitates mihi provenient? *b*) quot inveniam incommoda et pericula? Hae perscrutationes nec una hora, nec uno tractu, nec uno alterove die absolventur. Requirentur ad tam serium opus multa exercitia, ut nova semper lumina veniant quae prioribus scripto etiam adjicientur, donec exhausta materia videatur.

Commoda, incommoda, utilitates, pericula : sedulo praecavet S. P. ne ista secundum naturam, prout mundani faciunt, accipiantur; hoc enim sensu accepta, non ad divinam, sed ad humanam et mundanam vocationem adducerent. Ideo statim dicit : *ad solam laudem Dei Domini nostri et salutem animae meae.* Ubi igitur ab exercitante Directori scripto annotatus electionis labor afferetur examinandus, jubeat

hic rationes expungi quae temporalia commoda aut incommoda respiciunt, ut solae spirituales remaneant.

Quamvis S. P. hoc intendat ut viros religiosos et apostolicos Deo praeparet, ne quis tamen inde concludat eum pro forma aut ex prudenti cautela agere de incommodis et periculis etiam in dimittendo officio aut beneficio. Fieri enim potest, ut quis, quamvis et optime sit dispositus et vita religiosa sit per se omnium perfectissima, ad eam nihilominus non vocetur a Deo, sive quia videtur non perseveraturus, sive quia indolem habet vitae religiosae non idoneam, sive quia majorem Dei gloriam extra Religionem procurabit. Ideo S. P. in tertio puncto ait : *id quod ego facere debeo*. Attendendum in ratiocinationibus non solum quid sit perfectius in se, sed etiam quid sit pro tali subjecto ita constituto perfectius, ad Dei laudem et animae salutem. Ideo etiam in decima quarta Annotatione, in qua de votis religiosis agitur, sapientissime Directori hoc mandat S. P. : *Multum attendenda est propria* CONDITIO *et* SUBJECTUM, *et quantum possit invenire* AUXILII *vel* IMPEDIMENTI *in explenda (deinceps) ea re, quam vellet promittere*.

Quintum punctum, *postquam ita discurri, et*

ratiocinatus sum in omnes partes super re proposita, videre quam in partem ratio magis se inclinet; et ita secundum majorem motionem rationalem, et non (secundum) motionem ullam sensualem, debet fieri deliberatio super re proposita.

Vult S. P., ut in hoc quoque tempore, immo et in hoc maxime, nulla levitas in operationibus admittatur; sed ut graviter, cum pondere et mensura omnia fiant : quod patet ex vocibus : *discurri, ratiocinatus sum,* et praesertim ex istis : *in omnes partes*, ita ut nulla rerum pars remaneat quae penitus et ad imum perscrutando examinata non fuerit. Tunc enim tantum plena lux affulgebit et plena existet animi convictio. Si res ita tractatae fuerint, profecto rationes multae ex utraque parte stabunt pro et contra. Tunc solum, ubi exhausta materia videbitur, operatio fiet de qua in hoc puncto, scilicet rationes in statera solius divinae gloriae ponderabuntur : ponentur primum in casu accepti beneficii in una parte bilancis rationes pro, in altera rationes contra; quo facto, ponamus stateram inclinare in non acceptationem; nova tunc fiet operatio; ponderabo rationes pro non acceptatione et rationes contra non acceptationem.

Istae autem ponderationes in quibus singulae rationes in se primum appretiantur,

dein inter se comparantur, non unico die, ut diximus, fieri possunt. *Sat cito, si sat bene.* Ideo S. P. hanc operationem vocat *deliberationem;* ut autem deliberatio multum luminis afferat, et quasi moralem certitudinem pariat, in rebus praesertim, qualis haec est, summi momenti, tempori nullatenus est parcendum : secus locum habebit Spiritus Sancti sententia : *Substantia festinata minuetur* (Prov. 13, 11). Ex altera autem parte, ne desit activitas : *Nescit enim tarda molimina Spiritus Sancti gratia.*

Secundum majorem motionem rationalem; movet enim suo modo ratio voluntatem, ostendendo ei et imponendo veritatem; addit illico S. P. qui ut primum scopum Exercitiorum in prima Annotatione posuit exterminationem omnium affectionum non recte ac pure ad Deum ordinatarum : *non secundum motionem* ullam *sensualem,* quae facillime, etiam homine eam non advertente, irrepit ac optima inficit atque corrumpit. Hic, si unquam, cum fit electio, illud erat praecavendum.

Cur hic S. P. de directore omnino mussitat? Cur, ubi de ponderandis rationibus agitur, quae errore non raro inficiuntur, exercitanti non suadet, ut eas instructori legendas exhibeat? An forte illam consultationem aut inutilem aut non necessariam existimavit?

Resp. 1. Non nesciebat S. P. hanc consultationem non modo utilem, sed, propter sive falsas, sive abscondite inordinationibus labefactatas rationes, plerumque esse admodum necessariam : ast noverat pariter summi momenti esse, ut exercitans propria sua ratiocinatione, v. g. ad vitam religiosam, adductum se existimet; inde in conclusionibus major fiducia, major animi tranquillitas et major in executione firmitas. Ideo, S. P., in methodo, quam ipsi tradit exercitanti, de consultatione ne mentionem quidem facit. 2. Alio prudentiori modo consultationi providit. Directori namque, non exercitanti, hujus rei curam sapientissime commisit. In decima enim septima Annotatione quae ad Directorem spectat, eam, praecise et super omnia, rem de qua agimus intendens, ait : *Multum conducit, ut qui tradit Exercitia... fideliter certior fiat de variis agitationibus, de cogitationibus quas diversi spiritus exercitanti immittunt.* Porro praecipuae illae sunt cogitationes quae ad vitae status electionem pertinent; ergo manifestationibus suarum cogitationum jam assuefactus exercitans ex seipso de ratiocinationibus suis et cogitationibus circa electionem, minimo etiam verbo excitatus, suam animam Directori aperiet, eumque de ratiociniis suis *fideliter certiorem*

faciet. Ubi autem hic emendanda emendaverit, non continuo ad electionem exercitantem invitet, sed ad novam emendatarum ratiocinationum considerationem remittat, ut hic facere se omnia per seipsum sibi videatur. Ubi autem omnia bene purgata et decocta fuerint, exercitanti Director committat, ut ipsemet concludat et eligat.

Sextum punctum, *facta tali electione seu deliberatione* (nam conclusio ipsa in deliberatione est) *debet is qui eam fecit, ire multa cum diligentia ad orationem, ante conspectum Dei Domini nostri, et offerre illi talem electionem, ut divina sua Majestas velit illam recipere et confirmare, si majus ejusdem servitium et laus fuerit.*

Facta electione seu deliberatione, scilicet, ubi quis paratus ad faciendam voluntatem Dei etiam beneplacentem, eam seria ratiocinatione et solam Dei gloriam intuendo quaesivit atque legitima conclusione invenisse se persuasus est, unum restat : nimirum, ut postquam secum ratiocinando communicavit, opus absolvat et coronet communicando cum Deo. Si enim ex solo divini et perfecti servitii desiderio processit, si antequam ultimo se determinet, Deum consulit, impossibile, per divinam Providentiam est, ut Deus, qui fidelis est, eum in tanta re errare permittat. Si ergo facta

conclusio Deo non placet, profecto Deus, vel aliquo lumine, vel aliqua motione, vel alio quocumque modo voluntatem suam manifestabit; v. g. efficiendo ut talis a Superioribus regularibus ad religiosam vitam non admittatur. Si autem electio Deo placet, Deus lumen augebit, animum roborabit, aut forte etiam caelesti consolatione in hac electione recreabit.

Hunc ultimum casum praevidit S. P. in Annotatione decima quinta, cum dixit : *Multo melius est, quaerendo divinam voluntatem, ut ipse Creator ac Dominus animae suae (sibi) devotae se communicet, eam amplexans in suum amorem ac laudem.*

Ex dictis satis intelligitur hunc modum tertii temporis pro Exercitio saepius esse habendum; saltem semel in die repetitio illa vel plus vel minus fiet, prout necessitas postulabit, donec optatum lumen habeatur. Immo et in contemplationibus Mysteriorum, ut vidimus, intervenire poterit.

Ubi autem electio juxta methodum a S. P. propositam ad amussim facta fuerit, et Deo in fervore orationis oblata, ad novum examen nullatenus amplius revocetur, sed firma et immobilis teneatur. Quidquid enim, rei factae coram Deo et juxta Deum contradiceret, a malo spiritu sine ullo dubio procederet.

Secundus modus

ad faciendam sanam et bonam electionem continet in se quatuor regulas, et unam notam

Cum modus ille *contineat,* ut ait S. P., quatuor regulas, videtur intentio S. Fundatoris esse, ut non una aut altera tantum ex iis ad electionem faciendam adhibeatur, sed omnino quatuor, nulla excepta. Ceterum id evidenter apparet ex nota quam quartae regulae subjicit: *Assumptis regulis supradictis.* In hac enim tanta re, in diversos sensus et respectus vertat se exercitans necesse est, ut ex omni parte lumen idem affulgeat, et dubitatio quasi sit impossibilis.

Quatuor illas regulas breviter, pro more suo S. P. expressit, non ut breviter cum aliqua tantum consideratione tractentur, sed ut per plures meditationis horas accurate revolvantur, donec plena convictio et persuasio habeatur. Igitur singulas in formam meditationis redactas Instructor proponat.

Prima regula *est, ut ille amor qui me movet et me eligere facit rem talem, descendat desursum ex amore Dei : ita ut ille qui eligit, sentiat primum in se, quod ille amor quem plus aut minus habet*

erga rem quam eligit, sit unice propter suum Creatorem ac Dominum.

Haec regula est omnium perfectissima simulque certissima; purissimam enim solius amoris et gloriae Dei intentionem requirit; qui autem ex tali intentione statum eligit, fieri non potest ut Deus eum errare permittat.

Meditatio secundum

Primam regulam

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum : *Erit videre meipsum, quomodo sto coram Deo Domino nostro et omnibus Sanctis ejus, ut desiderem et cognoscam id quod gratius sit divinae suae Bonitati.* (Praeamb. de Bin.)

Secundum praeambulum : *petere id quod volo; erit hic petere gratiam ad cognoscendum et eligendum id quod magis sit ad gloriam suae divinae Majestatis.*

Primum punctum. — Perfectus finis hominis proximus, qui in majori Dei gloria procuranda consistit *(ad majorem Dei gloriam),* ad illam perfectionem, quam ipse a conversione sua ad mortem usque ex purissimo Dei amore S. P. heroïce coluit, per continuum in Exercitiis ascensum exercitantem promovere con-

tendit. Haec est illa puritas intentionis quam in decima septima Summarii filiis suis tam suaviter et tam enixe commendat.

Supponit hic S. P. adesse jam rem propositam, et ad eam propensionem : *ut amor ille, qui me movet et me eligere facit rem* TALEM. Non potest quis rem eligere quam vel in se vel aliunde non amet. Videndum igitur nunc, utrum movens ille amor talis sit ut certam Dei voluntatem indicet; probandus igitur est; eum autem sicut aurum, in fornace divini amoris probat Ignatius : *descendat desursum ex amore Dei;* amor ille meus purus erit, si ex solo amore Dei procedit. Non sufficit enim ad scopum quem hic intendimus ut cum amore Dei existat, sed ut simpliciter et *unice* ex amore Creatoris et Domini nascatur, eaque processio ita comprobetur, ut exercitans non solum credat, sed SENTIAT PRIMUM *in se, quod ille amor sit unice,* etc. Ut autem non erret, existimando se ideo non eligere ex amore Dei, quia hic amor annexam non habet consolationem sensibilem, S. P. prudenter addit : *quem plus aut minus habet.*

Sentiat primum in se. Quid vox *primum* exprimit hic, et quod secundum huic primo respondet? *Primum,* quod secundum non excludit, supponit primariam causam esse amo-

rem Dei, seu, quod idem dicit apud S. Ignatium, zelum divinae gloriae; zelus enim iste genuina divini amoris manifestatio est, et cum zelo propriae salutis, quae divini servitii corollarium est, conjungi et potest et debet; et haec secunda est amoris causa, qua ad rem propositam eligendam hic movetur homo. Aliae autem causae nullae hic admitti possunt, utpote quae cum solo fine, sive proximo, sive ultimo, ut in Fundamento vidimus, convenire non possunt.

Cur autem hic, contra morem suum, de solo amore Dei mentionem facit S. P., de salute vero aeterna penitus mussitat? Ut videlicet, quo altior, purior et divinior fuerit intentio, eo etiam certior secundum beneplacentem Dei voluntatem fiat electio : *ad faciendam sanam et bonam electionem.*

Secundum punctum. — Quaecumque sunt extra Deum et hominem (et consequenter varii vitae status) creata sunt ut hominem juvent ad glorificandum Deum. Unde sequitur, inter varios status illum esse eligendum in quo ego, attentis meis animae et corporis dotibus, majorem Deo gloriam dare potero, et ab illis omnibus me expedire debere in quibus minorem essem daturus gloriam.

Tertium punctum. — Quapropter sinere non

debeo moveri me in electione, non solum affectu male ordinato contra finem, sed etiam ullo affectu qui non sit perfecte ad finem ordinatus.

Hic rationes omnes propter quas *rem talem* eligere volo, ad imum scrutandae sunt, et videndum an unice ex amore Dei, et non ex amore mei aut creaturarum procedant.

Inordinate moverer 1. Si honorem mundanum respicerem. 2. Si amorem carnalem erga propinquos attenderem, ut iis bene esset, aut iis satisfacerem. 3. Si propriam sensualitatem aut propria commoda quaererem. 4. Si religionem ingrederer ut doctus evaderem; aut quia in ea concionari vel docere possem. 5. Si statum eligerem, ut essem in eo beatior. 6. Si sacerdos esse vellem, quia ad id me parentes impellunt. 7. Si propter naturalem repugnantiam, aut paupertatem, aut obedientiam religiosam amplecti recusarem. 8. Si quis nollet Societatem ingredi, quia abhorret a munere aliquo, v. g. invigilatoris, aut quia tardius sacerdos fieret. 9. Si quis bonae sanitatis ab ordine religioso abhorret propter jejunia et alias corporis afflictiones. 10. Si quis ex amicitia talem Ordinem ingrediatur, quia ibi amicum aut consanguineum inveniet.

Secunda regula

Secunda, ait S. P., *spectare (proponere mihi) hominem aliquem, quem nunquam viderim, neque cognoverim, et desiderando ejus omnem perfectionem, considerare quid ego illi dicerem faciendum et eligendum ad majorem gloriam Dei Domini nostri, et majorem perfectionem animae suae : et faciendo similiter (pro meipso) servare regulam quam pro altero pono.*

Haec regula praecedenti affinis est, hoc sensu, quod mire juvat ad astutias amoris proprii et ad affectiones non perfecte ordinatas detegendas; atque hic practicus S. Patris nostri sensus apparet.

Juxta hanc regulam, actoris partes omnino mutantur; ex consultante consultor exercitans efficitur, ut non de sua re, sed de aliena judicans, liber penitus sit ab omni amoris proprii labe, et quaestio extra omnem possibilem inordinationem solvatur.

Ad hoc autem duo omnino necessaria a S. P. supponuntur : 1. Ut consulens sit consultori penitus et sub omni respectu ignotus : *quem nunquam viderim neque cognoverim;* vulgata emendata non amplius habet : *mihi amicissimus,* quod e diametro erat autographo et menti S. P. oppositum, sed : *ignoto ac nunquam viso.*

Cur autem vult ut ipsum nomen, et conditio, et familia, et noti atque amici consultantis sint consultori res penitus ignotae? Ut scilicet hic nulla humana consideratione moveri possit, et rem coram solo Deo et propter Deum solum definiat.

Hinc intelligitur quam imprudenter agant ii sacerdotes, qui ut vel familiis, vel collegis, vel superioribus placeant, juvenes quos senserint vel subodorati fuerint ad vitam religiosam propendere, ad seminaria, data etiam pensione, dirigunt, eo animo ut potius in munere pastorali vitam degant.

2. Supponit S. P. eum qui consilium dat, non qualemcumque, sed *omnem* consultantis *perfectionem desiderare*. Sic enim fiet ut consultor summam perfectionem in ignoto illo desiderans, statum omnium ipsi optimum suadeat; sic et Deo, et ignoto, et consultori fiet satis : Deo quippe major procurabitur gloria, ignoto autem perfectio, et consultor merito boni sui consilii hoc adjiciet, quod inde ipse nec incommodum ullum, nec ullum detrimentum sit accepturus.

Supponat igitur factus consultor ignoti exercitans, hominem ad se accedere, qui eamdem ac ipse rem propositam, easdemque pro et contra rationes habeat. Ex hoc intelligitur

non differre methodum in hac regula positam a primo modo tertii temporis, nisi in eo quod omnem inordinationem securius amoveat.

Exercitium, adhibitis iisdem ac in praecedenti exercitio praeambulis, circa secundam hanc regulam fieri poterit.

Primum punctum. — 1. Consideret consultor quantum, in dando tali consilio, negotii sustineat, et quantum suis cervicibus onus imponat; item quantam consilii sui rationem sit Deo redditurus, immo et quanti ad Dei gloriam, ad perfectionem et forte ad salutem consultantis, momenti res illa, quae ut actu praesens habetur, futura sit. 2. Cum gaudio consideret occasionem nactum esse se magnam Deo gloriam, proximo eximiam perfectionem, immo et permultis forte salutem procurandi.

Secundum punctum. — Consultanti rationes ut talem statum amplectatur lucide et fortiter inculcet.

Tertium punctum. — Rationes quae contra sunt, adhibito unico hominis fine, qui in procuranda Dei gloria totus consistit, argumentis ex ratione ac fide deductis, dilucide confutet.

Ubi autem ad conclusionem pervenerit, ad seipsum sese convertens, animose sibi dicat : *Et tu fac similiter.*

Tertia regula

Tertia, ait S. P., *considerare, ac si essem in articulo mortis, formam ac mensuram quam tunc vellem tenuisse in modo praesentis electionis : et regulando me secundam illam (formam) faciam (ita) omnino meam deliberationem.*

Noverat S. Fundator verbum Spiritus Sancti : *O mors, bonum est judicium tuum* (Eccli. xli, 3), et illud Thomae Kemp. : « Quam fe- » lix et prudens qui talis nunc nititur esse in » vita, qualis optat inveniri in morte! »

Formam ac mensuram : forma, i. e. ratio vitae, v. g. matrimonium, aut sacerdotium in saeculo, aut vita religiosa sive contemplativa, sive apostolica, intendendo in omnibus finem hominis, gloriam Dei. *Mensura,* i. e. gradus perfectionis. Sic gradus altior est vivere in statu virginitatis quam in matrimonio, in vita religiosa quam in virginitate, in regulari simul et apostolica vita quam in simplici sacerdotio. Ibi major existit Dei gloria et major proinde perfectio, ubi magis homo abnegat semetipsum, ut Deo se in holocaustum mancipet. Igitur si quis velit esse perfectus, quantum potest, eam formam in eligendo tenebit, quae non sibi et suis commodis, sed soli Dei gloriae accommodetur. In hoc rein-

cidunt omnia tempora, omnes modi et regulae electionis. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie et sequatur me* (Luc. IX, 23).

Meditatio

Eadem quae pro prima et secunda Regula praeambula continebit et tria puncta

Primum punctum. — Cito veniet mors. « *Valde cito,* » ait Th. Kemp. l. I c. 23, « erit » tecum hic factum; vide aliter quomodo te » habeas : hodie homo est, et cras non com- » paret. Cum autem sublatus fuerit ab oculis, » cito etiam transit a mente. O hebetudo et » duritia cordis humani quod solum praesen- » tia meditatur, et futura non magis prae- » videt ! »

Quod vixisti, quid tibi jam videtur? Quasi nihil. Deleta sunt omnia. Quod reliquum tibi vitae est, pariter delebitur, etiamsi centum annos dehinc adhuc viveres. *Quae est enim vita vestra? Vapor est ad modicum parens, et deinceps exterminabitur* (Jac. 4, 15).

Quid sunt mille anni, si cum aeternitate comparentur? Quid octoginta? Quid quinquaginta? Audi eos qui in inferno sunt : *Transierunt illa omnia tanquam umbra... et tan-*

quam navis quae pertransit fluctuantem aquam : cujus, cum praeterierit, non est vestigium invenire... et tanquam avis, quae transvolat in aere, cujus nullum invenitur argumentum itineris... aut tanquam sagitta in locum destinatum, divisus aer continuo in se reclusus est, ut ignoretur transitus illius : sic et nos nati continuo desivimus esse (Sap. 5, 9, sqq.).

Horam mortis forsitan longe a te abesse existimas : cum et tibi forte dicere possit Christus : *Hac nocte,* aut hoc anno, aut paucis post annis, *repetent animam tuam.* Quot missionnarii, diuturnos labores sibi fingentes, in Indias profecti sunt, et ibi post menses aliquot, improvisa morte abrepti, longae vitae quam Deo voverant coronam in caelo sunt assecuti! Quot alii, dum sibi honores, divitias, voluptates in saeculo pollicebantur, morte subita aut lenta lue consumpti sunt! *Gustavi paululum mellis, et ecce morior* (1 Reg. 14, 43).

Secundum punctum. — Mortis opera.

1. Mors quid mihi auferet? Patrem, matrem, fratres, sorores, propinquos omnes, agros, domum, divitias, honores, sponsam, liberos, quidquid habebam in mundo, et vitam. *O mors, quam amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantiis suis!* Quam

felix ille e contra, qui a Christo vocatus bona illa omnia per vota religiosa Deo obtulit! Quanta pace talis fruitur in morte! Quanto cum gaudio mercedem exspectat! *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit* MATT. 19, 29). Apostolis autem, qui, relictis omnibus, Christum sequuntur, quid? *Amen, dico vobis, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede Majestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel* (ib.). Et : *Qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellae* (fulgebunt) in perpetuas aeternitates (DAN. 12, 3).

2. Mors quid relinquet? bona et mala opera, virtutes et vitia. Cum his tantum *ibit homo in domum aeternitatis suae* (ECCLE. 12, 5). Multi in caelo immensa gloria coronantur, qui si suae vocationi restitissent, igne nunc infernali urerentur; et multi e contra cruciantur atque in aeternum apud inferos cruciabuntur, quia propter amorem mundi, vocationem suam non sunt secuti. Recordare juvenis illius evangelici, quem propter innocentiam ejus Jesus dilexerat, quemque nonnulli tamen damnatum existimant, quia propositam sibi a

Christo vitam apostolicam recusavit. *Cum audisset autem adolescens verbum, abiit tristis : erat enim habens multas possessiones.*

3. Mors quid dabit? Caelum in aeternum, aut infernum in aeternum. *Nulla major securitas,* ait S. Gregorius, *ubi periclitatur aeternitas.* Oculos attolle in caelos, oculos demitte in infernum, et elige.

Quarta regula

Quarta, ait S. P., *attendendo et considerando qualem me inventurus sim (quo animo sim futurus) in die Judicii, cogitare quomodo tunc vellem deliberasse circa rem praesentem, et regulam quam tunc vellem tenuisse, eamdem nunc assumere, ut tunc me inveniam cum plena voluptate et gaudio.*

Statutum est omnibus hominibus semel mori, post hoc autem judicium (Hebr. 9, 27). *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis : Et tunc reddet unicuique secundum opera sua* (Mat. 16, 27).

Meditatio

Post eadem praeambula, tria puncta continebit

Punctum primum. — Stupor in ingressu aeternitatis. Ab ipso momento quo ultimum emisero spiritum, mundus hic ut atomus mihi

apparebit et quaecumque in eo aguntur ut somnia evanescent. Quid tunc oculis meis erunt divitiae et honores, voluptates et commoda vitae? Nihil, nisi vapor in aere solutus. Quid tunc sentiam de dura religiosorum vita et de fluxis mundanorum hominum festis et gaudiis? *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas.* Sensus laetitiae, sensus doloris, affectiones omnes ac repugnantiae, omnia erunt finita et absoluta.

Sed quantus meus erit stupor, quando videbo, quando ignotam penitus atque silentem et immensam ingrediar regionem aeternitatis, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec imaginatione ulla ullo modo hac in vita concipere possum? (1)

(1) Frater Pereyra, coadjutor Soc. Jesu, in S. Michaelis insula, cum ad agoniam jam pervenisset, per tres continuos dies rigidus ac frigidus, quasi mortuus permansit; et ecce quarta die subito aperit oculos et loquitur. Jussus autem a Superiore quae sibi eo tempore accidissent enarrare, sic circiter fatus est : « In lecto mortis extensus, S. P. N. Igna» tium conspexi, e caelo venientem, ut aegrotos nostros » visitaret, et si quos aeternis praemiis dignos inveniret, eos » secum ad Beatorum sedes duceret. Prae gaudio jam exul» tabam, ratus cum eo me statim profecturum. At ecce » gaudium meum in dolorem conversum est, cum me tam » felici mercede nondum dignum declaravit, ac defectus » interea emendandos aperuit. His dictis maturos quosdam » elegit, ac me in abysso moeroris ac tristitiae immersum » reliquit. » Anima dein Fratris Pereyra continuo e corpore egreditur; illico in eam nigra daemonum turba se praecipitat, quos tamen Angelus custos et S. Antonius Paduensis

Secundum punctum. — Subita Christi apparitio et judicium. Quantus meus erit stupor, quando Jesus cum magna majestate et gloria mihi illico, velut fulgur, apparebit, non jam ut Pastor, qui suo me corpore et sanguine amanter pascebat, sed ut justus judex, idemque omnipotens, implacabilis et supremus, sine possibili appellatione judicans. Quam terribili vultu mundanos peccatores ac malos divites excipiet! Quam e contra suaviter ac benigne eos, qui abnegantes semetipsos et crucem suam tollentes, ipsum in

---

fugavere. Sanctus hic et Angelus conterritam Fratris animam ad minimum quid de Beatorum felicitate et de damnatorum tormentis delibandum invitavere. « Et ecce pergendo, » aiebat Frater, in locum deliciarum deduxerunt me, ibique » pulcherrimam, quam nondum merueram, coronam exhi- » buerunt. Inde ad os inferni terrificum, iis ducibus, accessi. » Ibi maledictas animas collabentes in ignem aeternum » conspexi, multitudine granis frumenti similes quae sine » intermissione mola excipiuntur ac conteruntur. Gehenna » infernalis calcariae fornaci similis videbatur, in qua flam- » ma propter nimiam conburendae materiae injectionem » momento videtur extinguenda; sed subito vehementior » insurgit, atque ex ipsis injectis alimentis increscit. Inde ad » supremi Judicis tribunal ductus sum, qui me ad ignis pur- » gatorii flammas damnavit. Jam vero ex omnibus hujus » vitae doloribus nullus est, ex quo intelligere quis possit » quantum sit ibi tormenti, ac quantum ex dilatione visionis » beatificae animae crucientur. » Inde Frater, jussu Domini ad vitam reversus, per sex adhuc menses crudelissimis plagis afflictus vixit, ac postmodum sanatus, per quadraginta sex annos insatiabili animo poenitentiis omnibus devotus, aiebat haec se pro nihilo habere, attentis quae per divinam justitiam et misericordiam non viderat tantum, sed et senserat.

paupertate, humilitate et charitate secuti fuerint!

Audivi Christum in his Exercitiis me ad se sequendum tali aut tali modo invitantem. Ex mea animi fidelitate et liberalitate judicium meum et salus mea pendebunt. Qua forma ac mensura fecisse me praesentem electionem optabo?

Tertium punctum. — Coram Christo judice faciam nunc electionem meam.

Vocavit me Christus, audivi vocem ejus; quanta mea esset stultitia et imprudentia, in aeternum forte deploranda, si propter levem et labilem vitam, surdus ad vocem ejus existerem!

Vocavi, et renuistis : extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret : despexistis omne CONSILIUM MEUM... *ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo, cum vobis* ID QUOD TIMEBATIS *advenerit* (PROV. 1, 24, SQ.).

Dic tu cum Samuele : *Loquere, Domine, quia audit servus tuus* (1 REG. 3, 9). Dic cum Psalmista : *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum* (Ps. 56, 8). Cum Paulo : *Domine, quid me vis facere?* (ACT. 9, 6), et exclama : *Laetus obtuli Deo universa* (PAR. 29, 17).

Recole iterum quintam Annotationem.

Nota S. P. M.

Assumptis regulis supradictis ad meam salutem et quietem aeternam, faciam meam electionem et oblationem Deo Domino nostro, juxta sextum punctum primi modi faciendi electionem.

Ergo in hoc modo, electio non ante est facienda, quam absoluta sit quatuor regularum meditatio, etiam, si id necesse sit, cum repetitionibus.

Ad meam salutem; considerationem hanc solam ponit S. P., quia ad firmandam generosam electionem est aptissima; immo et alius emolumenti, quod ex magnanimitate procedit, in fine meminit : *et quietem aeternam;* quo enim quis erga Deum liberalior est, eo etiam, non in altera tantum, sed et in praesenti vita quietior est et felicior.

De iis

QUI VEL NOLUNT, VEL NON POSSUNT ALIUM STATUM ELIGERE

Commonitio ad emendandam et reformandam propriam vitam et statum

Advertendum est, ait S. P., *quod circa eos, qui constituti sunt in praelatura, vel in matrimonio (sive abundent multum bonis temporalibus, sive*

non) ubi non habent locum, vel valde promptam voluntatem faciendi electionem eorum, quae cadunt sub electionem mutabilem, valde utile est, dare (illis) formam et modum emendandi et reformandi propriam vitam et statum uniuscujusque illorum.

Praedicti electionis modi iis destinantur qui ad vitam religiosam et apostolicam vel vocati, vel, si liceret ita dicere, vocabiles sunt; ceteris vero emendationem (scilicet vitae puritatem) et reformationem (seu rectam vitae ordinationem) S. P. commendat. Hos autem in duas classes dividit. Prima classis eorum est qui electionem facere non possunt, quales sunt ii qui sunt matrimonio ligati, vel qui vix possunt (et rarissime facient), quales sunt Praelati, ac fere semper reges et principes. Secunda classis eos complectitur qui non habent *valde promptam voluntatem* faciendi insignem, qualem S. P. intendit, electionem.

Valde promptam voluntatem : haec verba valde notanda sunt. Nullo enim modo vult S. Ignatius cogi aliquem et quasi protrudi in vitam religiosam et apostolicam. Atque in hoc Christum sequitur, qui antequam juveni evangelico diceret : *vade, vende, etc.,* praemiserat : *si vis perfectus esse,* scilicet si *valde promptam* habes perfectionis *voluntatem.* Nisi enim exercitans desuper gratiam accipiat unde velit, et nisi

magnanimitatem et liberalitatem de qua in quinta Annotatione habeat, frustra eum movebis et regulas electionis illi trades; atque multo minus eum movebis, si praecedentia Exercitia immotum eum reliquere. Nisi enim Deus, ut habet Annotatio decima quinta, cum creatura sua communicaverit, frustra cum ea tu communicabis.

Methodus autem quam ad emendationem et reformationem proponit S. P., duo continet : 1. Principium ex quo debet reformatio procedere; 2. Ipsam reformationis materiam.

1. Principium idem est ac in modis eligendi, nec, juxta Fundamentum, aliud esse potest, nimirum proximus et ultimus finis hominis. *Scilicet,* ait S. P., *ponendo (firmiter tenendo ante oculos) creationem suam (homo creatus est, ut ....,* ait Fundamentum) *vitam et statum, ad gloriam et laudem Dei Domini nostri (ut laudet,* ait Fundamentum, *Deum Dominum nostrum, ei reverentiam exhibeat, eique serviat;) et salvationem animae suae (Et per haec salvet animam suam).* Ex aliis principiis poterit quidem aliqua fieri reformatio, nequaquam autem reformatio spiritualis.

2. Reformationis materia. *Ut ad hunc finem* (proximum scilicet et ultimum) *veniat eumque assequatur* (unde innuit S. P. *veniri* quidem ad

eum aliquatenus posse sine illa reformatione, sed non facile ad eum finem certo assequendum perveniri.) Quomodo autem talis exercitans in sua reformatione procedet? *Debet,* ait S. P., MULTUM *considerare et* RUMINARE *per Exercitia et modos eligendi, prout declaratum est,* etc. An sibi hic non contradicit S. P.? superius enim dixerat : utile est *loco faciendi electionem dare,* etc., et ecce remittit ad modos electionis. Resp. Intellige verba ista hoc sensu : *loco faciendi electionem status,* quae sola ibi significatur, et difficultas evanescit. Non enim ad solam electionem status juvant modi electionis, sed ad qualemcumque deliberationem.

Quantam domum et familiam habere debeat : per domum ipsum aedificium et ea quae domum spectant intellige, hortos, septa, equos; familiam autem componunt et servi et ancillae; haec omnia ita sunt restringenda ut paupertati spirituali et regulis de usu creaturarum conveniant : *in tantum, in quantum;* ideo S. P. voces adhibet : *habere debet,* scilicet pro sua conditione. Sic multa resecabuntur quae ad solum luxum pertinent, et propter humanae gloriae ambitum excogitantur.

1. *Quomodo eam debeat regere et gubernare; regere* pertinet praesertim ad modum exercendi auctoritatem; est enim suae familiae ali-

quomodo rex; rex autem, si vere christianus est, multo magis ad bonum suorum quam ad suum regere debet. Summus Rex Jesus Dei Filius de se dixit : *Qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. Sicut Filius hominis non venit ministrari sed ministrare, et dare animam suam, redemptionem pro multis* (MATT. 20, 27, 28), et alibi : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde*. Quis sive dives, sive rex, cum Christo Domino comparari poterit? Sit igitur dominus domus erga suos humilis, mitis, benignus, patiens; cum tranquillitate animi imperet ac reprehendat. Ne unquam ex mente ejus excidant verba illa Sapientiae (VI, 6, sq.) : *Horrende et cito* (Dominus) *apparebit vobis : quoniam judicium durissimum his, qui praesunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia : potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cujusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujusquam : quoniam pusillum et magnum ipse fecit et aequaliter cura est illi de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatio.* Audi et ex Eccli. 32, 1, 2, quomodo in potestate constitutus cum tibi subjectis te geras et quid inde gratiae et decoris sis accepturus : *Rectorem te posuerunt? Esto in illis quasi unus ex ipsis. Curam illorum habe, et sic conside, et omni cura tua explicita, recumbe : ut laeteris propter*

illos, et ornamentum gratiae accipias coronam, et dignationem consequaris corrogationis.

Gubernare pertinet ad rectam et bene ordinatam administrationem. Praevidere gubernare est. Praevideat igitur omnia qui praeest, et omnia antequam fieri debeant ordinet. Habeant omnia sua quaeque tempora, cubitus, decubitus, varia munia, corporis refectiones, etc.

2. Quomodo eam (familiam) *docere debeat verbo et exemplo.* Mandavit quidem Deus unicuique de proximo suo, sed gravissima dominis obligatio incumbit, ut domesticorum suorum saluti ac bono prospiciant : *Ergo,* ait Paulus ad Galatas (6, 10), *dum tempus habemus, operemur bonum, maxime autem ad domesticos fidei.* Et ad Timotheum (5, 8) : *Si quis autem suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.*

Docere verbo : tenetur enim curare dominus, ut et filii sui et famuli circa fidem et praxim catholicam rite instruantur : ad id conferent et lectio catecheseos et lectio spiritualis vespertina in communi instituta, ex historiis praesertim sacris desumpta; eos etiam ad instructiones quae in templo fient compellet, atque ad frequentem ferventemque Sacramentorum receptionem adhortabitur. Tandem

cum magna curet diligentia ut ne cum malis se commaculent; atque sedulo invigilet ut inter se prava colloquia non instituant. Sed haec omnia non multum proderunt, si verbis exempla non adjecerit. Ideo S. P. addit :

Docere exemplo : verba movent, exempla trahunt. Omnibus igitur suis semper exemplo, multo adhuc magis quam verbo et auctoritate, praesit. Totam familiam mane et vespere convocet, et communibus praesit precibus; magnam prae se ferat erga Deum, Sanctos, res sacras, Ecclesiam, sacerdotes, et virtutes omnes reverentiam; cum eadem reverentia preces ante refectionem corporis et gratiarum actiones recitet. Conetur quotidie Sacro interesse; dominicis diebus atque festivis Missae solemni intersit et Vesperis; si extraordinariae conciones, sive intra, sive extra missiones habeantur, ab iis nunquam abstineat; tandem Sacramenta frequenter suscipiat, et suis, ut idem faciant, tempus procuret. Denique caveat ne ullibi in domo vel libri vel scripta quaecumque consistant, quae fidei aut moribus adversentur.

3. *Similiter de suis facultatibus, quantam (partem) debeat sumere pro familia sua, et domo; et quantam ad dispensandum in pauperes et in alias res pias.*

Certum est unumquemque sub gravi obligari dare de suo superfluo pauperibus; quod liquido ex damnationis sententia apparet, quam in extremo judicio Christus proferet. *Discedite a me maledicti in ignem aeternum; esurivi enim et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi potum; hospes eram, et non collegistis me; nudus, et non cooperuistis me; infirmus, et in carcere, et non visitastis me* (MATT. 25, 41).

De obligatione, quae ex se patet, non loquitur S. Ignatius : majora enim ab eo expectat, qui integra obivit Exercitia. Ad quid enim tantam molem movisset, ut ea tantum quae sine aeterna damnatione recusari non possent, obtineret!

Si exercitans in Exercitiis pro voto S. Ignatii profecit, si vult in posterum sic vivere, ut ex amore Deum glorificet, et creaturis uti *in tantum in quantum;* si Christum egenum et pauperem intellexit; si ad spiritualem saltem paupertatem pervenit; si animo penitus insitum habet divitias ex una parte retia esse diaboli, quibus homines ad vanum honorem perveniunt, ut tandem consummatae superbiae catenis obstricti in omnia ruant vitia; ex altera, si sub vexillo Christi didicit paupertatem parere amorem opprobriorum cum

Christo opprobriis pleno, indeque nasci humilitatem, virtutum omnium matrem; si denique ex meditatione de Binariis, quam tremenda res sit affectus ad legitimas etiam divitias, intellexit; si inquam, ita profecit, procul dubio non in obligatoria eleemosyna consistet, sed praeclariores charitati partes concedet.

Quantam (partem) *debeat sumere pro sua familia et domo,* attendendo scilicet ad conditionem suam. Et certe si regulas de usu creaturarum, si spiritualem paupertatem, si christianam humilitatem consideraverit, multa ex praecedenti luxu certo resecabit.

Et quantum ad dispensandum in pauperes, et in alias res pias. Quo major haec pars fuerit, eo melius, et eo etiam ad caelestes thesauros consultius.

De S. Joachim legitur quod reditus suos in tres partes divideret, quarum prima cedebat Deo, secunda pauperibus, tertia familiae.

Hoc salutis monitum suo dabat filio Tobias : *Ex substantia tua fac eleemosynam et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere : ita enim fiet ut nec a te avertatur facies Domini. Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue. : si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Praemium enim*

bonum tibi thesaurizas in die necessitatis. Quoniam eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam. (Tob. 4, 7, sq.).

Nostro saeculo, Turini, Marchio de Barolles pro annua pecunia trecenta millia librarum argenti expendenda obtinebat : sic autem reditus suos dividebat; centum millia tradebat uxori suae in pios usus ab ea expendenda; sibi ipsi alia centum millia in eumdem usum reservabat; cetera centum familiae suae et domui attribuebat : at saepe ex ipsa hac summa multa millia extrahebat pauperibus et piis operibus superaddenda. Primas ac potiores ferculorum quorumcumque mensae suae portiones seponi curabat ab uxore post prandium pauperibus distribuendas.

Quod de poenitentia in victu dixit S. P. in decima additione, non sine utilitate determinandae quantitati redituum familiae et domui assignandae inservire poterit : *Quando subtrahimus superflua, non est poenitentia, sed temperantia; poenitentia est, quando de conveniente subtrahimus, et quo plus atque plus subtrahimus, eo major et melior est poenitentia.*

Hanc autem generositatem ad extremum usque urget S. P., non aliam mensuram per-

mittens quam *majorem* Dei laudem et gloriam : *non volendo, non quaerendo* QUIDQUAM ALIUD, *nisi in* OMNIBUS *et per* OMNIA, MAJOREM *laudem et gloriam Dei Domini nostri.*

Atque hinc, per modum ultimae conclusionis, quae magnificae instar coronidis, secundam claudit hebdomadam, venit ad celeberrimum illud axioma, in quo tota essentia ac robur ignatianae asceseos continetur : *Cogitet enim* UNUSQUISQUE, *tantum se profectum facturum esse in* OMNIBUS *rebus spiritualibus, quantum exiverit* A PROPRIO SUO AMORE, *(a propria)* VOLUNTATE, *et* UTILITATE (COMMODITATE PROPRIA). Sic enim verbum illud explicat quod iterum atque iterum filiis suis ingeminabat : *Vince te ipsum.* In hoc cum auctore Imitationis consentit, qui dixit : *Tantum proficies, quantum tibi ipsi vim intuleris.*

Exiverit; in domo enim amoris proprii, per originalem corruptionem, nati sumus, eique natura vehementer adhaeremus, nec sine insigni in nosmetipsos victoria inde exire consentimus. *Amor proprius,* genus est; species autem sunt, tum *propria voluntas,* quae ad superbiam refertur, et abhorret a dependentia; tum *utilitas* (seu studium propriorum commodorum), quae refertur ad sensualitatem. Amori proprio opponatur amor Dei; propriae

autem voluntati humilitas et obedientia; denique commodorum amori, sensuum mortificatio.

Sequentem notam subjicit R. P. Roothaan :

« Adverte diligenter hoc vitae vere spiri-
» tualis ac solidae virtutis acquirendae axio-
» ma praecipuum. Observa et pondera rela-
» tionem *tantum quantum*. Denique magis
» magisque intellige, cur omnis horum Exer-
» citiorum ratio, quod quidem ad praxim at-
» tinet, ad proprii amoris expugnationem, ad
» victoriam sui ipsius, tanquam ad finem pro-
» ximum et immediatum, meditantem impel-
» lat. Quia, scilicet, si fructum seu finem
» proximum Exercitiorum *(victoriam sui)* con-
» sequatur, ultimum etiam finem *(gloriam*
» *Dei* suamque *salutem ac perfectionem)* attin-
» get; et hunc quidem ultimum *tanto* co-
» piosius et perfectius, *quanto* plenius et
» generosius illi primo exercendo se tradi-
» derit. »

Quod Nostri in magnis et a quinta aut sexta saltem die in octiduanis Exercitiis, praedicto modo electionis, scilicet, reformationi vitae juxta Instituti normam, graviter vacare debeant, dicere necesse non est; cum constet omnibus, sine illa reformatione maxima ex parte fructum Exercitiorum brevi excidere.

Pars tertia

TERTIA HEBDOMADA

EXERCITIORUM

S. P. N.

Praenotanda

Directorium, sicut primam hebdomadam viae purgativae adscribit, ita secundam, et implicite tertiam viae illuminativae; quartam autem tantum viae unitivae assignat. Gagliardi vero, et in hoc impegisse videtur, tertiam et quartam viae unitivae attribuit, secundam autem solam illum inativae. Eum in hoc errasse et a mente S. Ignatii deflexisse existimamus; nam aeque, immo et multo magis illuminativa est tertia hebdomada quam secunda. Si enim in secunda fulgent radii, in tertia sol ipse lumen est: si in secunda ingens calor emittitur, in tertia in camino ipso amoris anima ignescit; si in secunda virtutum omnium, humilitatis, paupertatis, obedientiae, patientiae, zeli anima-

rum et charitatis exempla ubique respergun-tur, in tertia exempla illa brevi in spatio cumulata ad summum pertingunt. Hinc etiam in hac tertia hebdomada Dominum qui pro me homo factus est, ut opprobriis et doloribus saturatus in cruce pro me moreretur, et multo intimius cognosco, et multo ardentius in ejus amorem rapior, atque ad eum imitandum ex amore incendor. *Dilexit me et tradidit semetipsum pro me* (Gal. 2, 20). *Charitas Christi urget me* (2 Cor. 5, 14). Ex his liquet non novum ordinem in ingressu tertiae hebdomadis iniri, sed eumdem pressius, cum diversitate factorum, continuari.

Quamvis Exercitia jam nunc inchoanda natura sua, siquidem ad efformandam sanctitatem pertinent, ad tres illas vias quodammodo referri possint, videtur tamen S. P. ad eam a Mysticis traditam divisionem non ita attendisse; immo et forte cum sua Exercitia primum composuit, vel potius a Spiritu Sancto, mediante Diva Virgine, accepit, totius ferme mysticae scientiae fuisse ignarus. De tertia, scilicet unionis via, quatenus extraordinaria est, dicendum est quod S. P., etsi ad altissima quaecumque praeparet ac disponat, ex professo agere omnino vitaverit, viisque ordinariis tantum voluerit palam insistere.

Unica et simplicissima, quam S. P. tenuit, via in prima Annotatione describitur : *Quilibet modus praeparandi et disponendi animam ad tollendas a se omnes affectiones inordinatas, et postquam quis eas sustulerit, ad quaerendam et inveniendam voluntatem divinam, in vitae suae dispositione, ad salutem animae, vocantur exercitia spiritualia.* Meta ultima, quam per *integra* Exercitia sibi praefigit, haec est, ut scilicet exercitans, si ad hoc fuerit idoneus et vocatus, religiosam et apostolicam vitam amplectatur, vel saltem, si vocatio non adfuerit, praeclara ad Dei gloriam operetur.

Jam vero ad culmen illud non pertinget exercitans, nisi sanctitatem prosecutus se totum ad omnia obtulerit; haec autem sanctitas erit impossibilis; nisi 1. peccata perfecta contritione abluta fuerint, 2. nisi e medio dehinc sublatae fuerint omnes omnium peccatorum radices, scilicet affectiones inordinatae, immo 3. nisi, in ordine saltem ad sublimem vocationem affectiones simpliciter non bene ac perfecte ordinatae, enecatae fuerint. Ex quo jam apparet quam parum ignatiana methodus quadret cum ea quam viam purgativam ascetae vocant, quaeque juxta illos tota in ablutione peccatorum consistit. De hac ablutione, quam tamen in meditationibus primae hebdomadae

eximie procurat, penitus ibidem mussitat S. P., ut de solis extirpandis inordinatis affectionibus tractet; quae quidem extirpatio ad ultimum, quem intendit, scopum conducit. Perfecta remissio peccatorum in prima hebdomada absolvitur; sublatio vero inordinatarum affectionum in ea incipit quidem, sed vix unquam in ea absolvitur; ad eam perficiendam, et secundae et tertiae hebdomadae exercitia requirentur. Non igitur ad primam hebdomadam expurgatio quam S. P. intendit restringitur, sed et per sequentes currit hebdomadas. Ad plenam enim illam affectionum expunctionem multae omnino circa vitam Christi Domini ejusque passionem meditationes erunt necessariae.

Si autem praecipuum, quem intimius prosequitur in prima hebdomada S. P., scopum, scilicet humiliationem, despectum et odium sui, quemque super omnia in duabus sequentibus hebdomadibus semper inculcat, requiris, ejus in via illuminativa fundamentum et capitale exercitium reperies. Ad amorem autem, fructum scilicet viae illuminativae, quod attinet, non tantum radicem ejus in duplici cognitione, tum divinae perfectionis, bonitatis ac misericordiae, tum humanae vilitatis ac detestandae malitiae, invenies, sed et divini

amoris flammas ex colloquiis praesertim cum Christo crucifixo erumpentes videbis, non solum post meditationes de peccatis, sed et post ipsam de inferno sensuum applicationem; ita ut vixnon ad ipsam unionis viam illa posse pertinere videantur.

In quo enim via unitiva consistit? Nempe in eo quod quis Deum et Christum adeo diligat, ut, per perfectam sui ipsius abnegationem, in nulla amplius re sibi, sed soli Deo ejusque gloriae vivat. *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* (Col. 3, 3). Perfectionem illam qui attigit, non solum, ut ait vigesima Annotatio, *appropinquat Creatori ac Domino, sed eum attingit, scilicet cum Deo unitur*. Haec autem solidissima unio est et, in quantum divina cum humanis consociari possunt, perfecta adhaesitatio : non tamen vias ordinarias excedit, nisi ipse Deus gratias extraordinarias ei superaddat, prout in modo citata Annotatione S. P. subinde innuit : *et, quanto magis ita eum attingit, eo magis se disponit ad suscipiendas gratias ac dona a sua divina ac summa Bonitate*. Viam illam unionis ordinariam, non solum a prima Exercitiorum hebdomada Sanctus, et consequenter plene Deo consecratus Ignatius, ingressus est, sed et ab ipso suae ad Deum conversionis momento,

cum inter manus Divae Virginis professus est, se nil amplius in hac vita prosecuturum praeter majorem Dei gloriam. Hinc supernaturales illae gratiae, apparitiones, revelationes, raptus, extases, lacrymae, etc., quae unionem non constituunt, sed condecorant. Idem S. Teresiae accidit. Cum enim mirabilis illa ac seraphica sancta eo venisset, ut nihil amplius praeter Jesu amorem et gloriam, sibi penitus mortua spiraret, eam ad unionem seu ad divinum connubium secum ineundum Jesus, in extraordinaria illa ac plane caelesti visione, admisit, data dextera, ut solent sponsi, ac dixit : *Deinceps, ut vera sponsa, meum zelabis honorem;* sicque ostendit divinae unionis ac verae desponsationis animarum conditionem sine qua non esse abnegationem propriam, et zelum divinae gloriae.

Ita S. P. qui in solida rerum substantia semper consistit, viam unitivam intellexit : *vince teipsum,* ut vivat in te solus Jesus; hinc illa quam intendit perfecta omnium, non solum male, sed etiam non bene ac perfecte inordinatarum affectionum exterminatio. Ut autem eo exercitantem perducat, in secunda, et maxime in tertia hebdomada, amorem Christi omnimode accendit et inflammat. In quarta autem hebdomada, animus, plena ac

perfecta parta victoria, in victore amore cum Christo quiescit, ac pace fruitur, quae exsuperat omnem sensum.

Ex dictis patet non in sola quarta hebdomada, sed et in secunda ac tertia, immo et in prima, si affectiones non bene ordinatae magno animo et cum liberalitate tollantur, unionem saltem ordinariam posse obtineri. Patet etiam exercitantem, quamvis omnis generis consolationes, lacrymas, visiones habeat, inaniter sibi de adepta unione blandiri, nisi ad perfectam sui abnegationem ita pervenerit, ut sibi, suo honori ac proprio commodo mortuus solam Jesu gloriam ex puro amore quaerat. Poterit quidem et multum amare Christum, et multa pro ipso facere, at non erit per Christum, ut dicitur in mystica theologia, ad statum unionis assumptus, et Christo desponsatus. Patet et tertio eos insigniter errare, qui existimantes pertigisse se ad secundam aut etiam tertiam viam, primam viam colere desinunt, iis non absimiles qui radicem arboris esse jam inutilem crederent, quia fructus arbor jam produxit. Non ita Sancti, atque in primis S. Ignatius ac S. Teresia, qui et in ipsis suis exstasibus ac meditationibus sua peccata semper habebant ob oculos, indeque ex sua vilitate ac turpitudine cum divina bonitate

comparata, novos magis ac magis divini amoris ignes concipiebant. Intellexerant quippe Sancti illi radicem, fontem ac fundamentum veri amoris atque unionis in vera, in profunda, in constanti humilitate consistere.

Rursum in tertia hebdomada, quae ad viam purgativam aptissime referantur invenies. Quid enim sibi volunt verba illa tertii ultimae Caenae praeambuli : *petere dolorem, sensum et confusionem, quod* OB MEA PECCATA *Dominus eat ad Passionem,* et sextum punctum in singulis de Passione exercitiis perpendendum : *considerare quomodo haec omnia patitur* PRO PECCATIS MEIS?

Ex alia parte regulae disc. spir., quas primae hebdomadae convenire S. P. affirmat, tales sunt, ut viae illuminativae, immo et, si ad ea praesertim quae de consolationibus ibi dicuntur attendas, viae ipsi unitivae accommodatae sint.

Ergo hebdomadae Exercitiorum talis sunt naturae ac processus, ut non vere ac distincte cum tribus viis coincidant; sed modum sibi omnino proprium habeant. Similia enim arbori Exercitia sunt, cujus radices in valle proprii nihili et in fimo peccatorum aguntur; ex radicibus autem jam a prima hebdomada arbor prodire cernitur, quae sub sole Justitiae

continuo crescit, ramos, folia, flores germinans et fructus, qui in quarta hebdomada maturi saporem habent suavissimum. Vel, ut sine parabolis loquamur, via S. Ignatii haec est : Posita in Fundamento, quae ad Deum, finem hominis, recta ducit linea, ad eam hominem ex obliquis aut oppositis viis revocat, eumque convertit : ad hoc praesertim cognitionem Dei et cognitionem sui ipsius adhibet; ex qua duplici cognitione oritur amor Dei et sui ipsius contemptus et odium. Hanc veram humilitatem super omnia in prima hebdomada prosequitur : in ea enim verum et essentiale totius sanctitatis fundamentum, ut diximus, consistit. Ubi autem hoc obtinuit, exercitantem purum, humilem, docilem ipsi Christo instruendum et informandum committit, ut conspecta Jesu amabilitate, et ejus exemplis devinctus, totius ejus, ab initio ad mortem usque, vitae testis, currat in odorem unguentorum ejus, atque ei ex amore quam simillimus esse velit. Hanc viam tenuerunt Apostoli; neque aliam sequitur qui a S. Ignatio suscipit Exercitia. Ut autem eam sequi possit exercitans, requiritur ut non segniter vincat per abnegationem seipsum : *Qui vult venire post me, abneget seipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me :* discet ex amore Christi

in secunda hebdomada *abnegare se :* pariter ex amore discet in tertia hebdomada *tollere crucem suam;* tandem amor ejus in quarta hebdomada, tum ex visione redivivi et gloriosi Jesu sui, tum spe similis promissae sibi gloriae recreabitur. Contemplatio autem spiritualis ac purissimi amoris erit ipsi quasi coronis et nova Pentecostes. Inde, sicut Apostoli, Christo similis et perfecte addictus, ducem suum dilatato corde sequetur, et ignem quem ipse concepit, quantum poterit, ubique accendet.

Scopus tertiae hebdomadae, idem est ac secundae sed cum multo majori lumine, sensu et fructu scil. intima Jesu cognitio, qui non solum pro me factus est homo, sed et pro me omnis generis opprobria et tormenta perpessus, pro me crucifixus est, mortuus et sepultus; hinc magnum amoris in eum incrementum, et ardentissimum eum imitandi desiderium. Quare S. P., nullo argumento interjecto ab ultima contemplatione secundae hebdomadae transit ad primam tertiae. Ex his sequitur factam in secunda hebdomada electionem per tertiam hebdomadam validissime confirmatum iri.

Prima Contemplatio

Media nocte, ait S. P., *est, quomodo Christus Dominus noster perrexit a Bethania versus Hierusalem ad ultimam cenam inclusive. Infra (inter Mysteria Vitae Christi Domini nostri); et continet in se orationem praeparatoriam, tria praeambula, sex puncta, et unum colloquium.*

Antequam materias contemplationum hujus hebdomadae distribuamus, necesse est ut hic mentem S. Fundatoris, ex notis quas in fine hebdomadae descripsit, rite interpretemur. Sic enim ait :

Notandum est, quod qui magis vult tempus producere in Passione, debet assumere in quavis contemplatione pauciora Mysteria, scilicet, in prima contemplatione Cenam tantummodo, in secunda Lotionem pedum, in tertia Sacramentum illis datum, in quarta Sermonem quem Christus illis fecit, et sic per ceteras contemplationes et Mysteria.

Item, post finitam Passionem, sumat uno die integro mediam partem totius Passionis, et secundo die alteram partem, et tertio die totam Passionem.

E contrario, qui voluerit magis abbreviare (tempus) in Passione (contemplanda), assumat media nocte cenam, et in Aurora Hortum, ad horam Missae domum Annae, ad horam Vesperarum domum Caïphae, loco horae ante coenam (i. e. applicationis

sensuum) domum Pilati; ita ut non faciendo repetitiones, neque applicationem sensuum, faciat quotidie quinque Exercitia distincta, et in quovis exercitio (contempletur) distinctum Mysterium Christi Domini nostri; et post finitam ita totam Passionem, potest facere (contemplari) alio die totam Passionem simul in uno Exercitio, vel in diversis, prout magis sibi videbitur fructum percipere posse.

Ex his conclude : 1°. S. Ignatium amplissimam, ut solet, servatis servandis, instructori, quoad distribuenda, immo et dividenda Mysteria, concedere facultatem, modo passio integra in omni casu decurratur *(et post finitam totam Passionem);* et in fine passio integra resumatur. 2°. Proponi a S. Patre triplicem modum hanc hebdomadam peragendi, quo omnes modi possibiles continentur, scilicet, vel fiunt omnia sicut in libello jacent; vel materiae ibidem propositae dividuntur in partes, ut tempus hujus hebdomadae protrahatur; vel e contra, ut tempus a S. P. positum contrahatur, materiae congeruntur.

Primus modus septem vel octo dies exigit : dico septem vel octo. Scilicet, si ultima die, quod requiritur, Passio resumatur integra, et prima die congerantur Cena et Hortus cum repetitionibus, et distrubuantur Mysteria sicut indicatur in corpore libelli, erunt septem

tantum dies. Si autem Cena, ut innuitur in tertio modo, in duo, immo et in quatuor exercitia dividatur, et Hortus in duo, poterunt octo aut amplius dies haberi. Cum autem puncta in fine libelli posita sint decem tantum, et per consequens quinque solum diebus sufficiant, patet S. Patrem non tam ea posuisse ut, prout jacent, teneantur, quam ut certis Passionis circumstantiis mens exercitantis attendat, iisque immorando fructum a S. P. intentum colligat, amorem maxime opprobriorum et humilitatem. Dico humilitatem, nam in toto illo punctorum decursu, mentem exercitantis in considerandis, ut videbimus, opprobriis Christi Domini semper defigit.

Secundus modus in protrahendo tempore illo qui in primo modo designatur, consistit. Hujus modi exemplum ponit S. P. primae de Cena contemplationis, quam in quatuor exercitia dividit; cumque juxta suam methodum, duo tantum singulis diebus assignet exercitia cum duabus repetitionibus et applicatione sensuum, contemplatio illa duos dies occupabit. Priore enim die de duplici cena et de lotione pedum fiet contemplatio, altero autem, et de dato SS. Sacramento et de Sermone Christi. *Et sic per ceteras contemplationes et*

Mysteria. Similiter et in fine Mysteriorum, duo vel tres dies in resumenda tota Passione adhibebuntur; in priori die prima media pars, in altera, secunda resumetur.

Tertius modus in contrahendo tempore primi modi consistit. Contrahetur autem per suppressionem repetitionum et ipsius applicationis sensuum; et servatis unoquoque die quinque exercitiis, non duo mysteria, sed quinque diversa tradentur. Quamvis de hac dispositione nullam in secunda hebdomada mentionem S. P. fecerit, satis licet concludere contra mentem S. P. non iturum instructorem qui etiam in secunda hebdomada, attendendo subjectum et circumstantias, tria Mysteria diversa eodem die tradiderit. Inde iterum quantam partem instructori faciat S. P. constare videtur.

At patet etiam et nobis in hoc opere libertatem concedi, ut tali Mysteriorum distributione utamur, quae omnibus qui tradunt Exercitia, immo et iis qui de Passione concionantur, utilior esse possit, neque iis tantum, sed et omnibus qui, etiam extra Exercitia proprie dicta, contemplationi Passionis diutius vacare cupiunt. Totam inde et integram Passionem, juxta concordantiam, meditandam proponemus.

Contemplandi methodus. In methodo, apud S. P., omnia fere consistunt, modo Passio integra percurratur; Passionis distributionem, ut ex dictis patet, instructoris vix non omnino relinquit arbitrio. Ubi autem de methodo agitur, eam ad amussim proponit et clarissime explicat.

Ordinem et partes singularum contemplationum initio primae contemplationis sollicite repetit potius quam exponit : *Contemplatio... continet in se orationem praeparatoriam, tria praeambula, sex puncta, et unum colloquium.*

Quoad summariam illam methodum, nihil hic indicatur, quod non jam in praecedenti hebdomada fuerit praescriptum, si sex puncta excipias. Ast in illis sex punctis totius ignatianae methodi in hac hebdomada medullam reperies. Puncta proprie dicta, seu tripartita contemplationis materia variabilis est; ast puncta illa sex vera sunt S. Ignatii puncta, eaque invariabilia, sive materia unicum punctum habeat, sive duo, sive tria, aut quatuor.

Puncta enim illa venae sunt, quas qui ingressus fuerit, inveniet in proposita materia contemplationis *id quod desiderat,* lumen scilicet, unctionem, amorem, et ardens imitandi studium. Sic enim intentioni S. Patris satisfiet : nimirum ipsemet exercitans, indicata

methodo, quaeret per se, et inveniet, quod, ut ait Annotatio secunda, *majoris est gustus ac fructus, quam si ille qui tradit Exercitia multum declarasset ac dilatasset sensum historiae.* Hinc omnino necesse est ut exercitanti sex illa puncta clarissime explicet ac intime inculcet instructor, ne ille in incerto procedat, nec viam aliam, at non ignatianam, sequatur.

De tribus prioribus punctis, de personis, de verbis et actibus in secunda hebdomada jam diximus. De tribus tantum posterioribus, quae summi momenti sunt et tertiae hebdomadae soli conveniunt, agendum restat. Neque hic meditationes anticipamus, sed viam ad meditandum, puncta commentando, exercitanti sternimus, venasque aperimus.

Quartum punctum, *considerare ea quae Christus Dominus noster patitur in humanitate, vel pati vult, juxta tractum (Passionis), quem quis contemplatur : et hic incipere magno visu, et conari (excitare me) ad dolendum, tristandum et plangendum; et eodem modo laborando (scil. conando) per cetera puncta quae sequuntur.*

Vel pati vult sensu explicativo, non disjunctivo, ita ut nihil passus sit quod pati non voluerit, neque potuisset pati nisi voluisset; sic enim apparet quantopere nos dilexerit; nam non accepit tantum cum resignatione quae

passus est, sed propter amoris excessum illa omnia quantumvis acerba et atrocia, plena, pura et ardenti voluntate voluit et amplexus est, juxta illa : *Oblatus est, quia ipse voluit* (Is. 53, 7), et : *Baptismo autem habeo baptizari, et quomodo coarctor usquedum perficiatur?*

Considerare ratiocinando et imaginando quae *Christus,* (qui Deus salvator est et) *Dominus noster patitur in humanitate;* nam in sola humanitate pati potuit, et ideo ipsam, ut in ea pateretur, cum infinito merito propter divinitatem Personae, in se assumpsit : *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.* Quae omnia S. Ecclesia in symbolo iis vocibus perstringit : *Qui propter nos homines... passus et sepultus est.*

Quae autem in humanitate Christus passus est? Passus est in anima et corpore : in corpore verbera atrocissima, alapas, vulnera crudelissima : *Non est species ei, neque decor : et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum : despectum et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem, et quasi absconditus vultus ejus et despectus, unde nec reputavimus eum..... et nos putavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo* (Is. 53, 2-4). Quis flagellationis, coronationis et crucifixionis tormenta sibi mente effingat?

In anima vero multo majora Christus passus est, ex parte scilicet angorum cordis et opprobriorum : *cor contritum et humiliatum.* 1. Et primo quidem saevissimis angoribus contritum fuit Cor Jesu : 1° Ubi passioni in monte Olivarum initium dedit, onus in se ad mortem usque omnium totius humani generis peccatorum suscepit, ea quasi sibi propria effecit, iisque sicut vestimento coopertus est. Quae autem fuerint inde ejus angores, quae Cordis ejus sanctissimi torsiones ac contritio, ipse solus scivit et scire potest; tu autem aliquantulum saltem intelliges, si et infinitum ejus erga Patrem amorem, et infinitum ejus in peccatum odium, consideraveris. *Propter scelus populi mei percussi eum* (Is. 53, 8). *Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit : et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum* (Ib. 6). *Attritus est propter scelera nostra* (Ib. 5). 2° Ab iis passus est, quos omni tempore dilexerat et immensis affecerat beneficiis. *Pertransiit benefaciendo.* Hinc querelae ejus, cum torqueretur, amantissimae : *His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me* (Zach. 13, 6). *Populo meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? responde mihi.* (Mich. 6, 3). Quas quidem querelas, dilecta Christi Sponsa, Ecclesia tenerrime in divino feriae sextae

majoris hebdomadae officio interpretata est. *Quia eduxi te de terra Aegypti, parasti crucem Salvatori tuo. Quid ultra debui facere tibi, et non feci? Ego quidem plantavi te vineam meam speciosissimam : et tu facta es mihi nimis amara : aceto namque sitim meam potasti, et lancea perforasti latus Salvatori tuo. Ego propter te flagellavi Aegyptum, cum primogenitis suis; et me flagellatum tradidisti. Ego ante te aperui mare : et tu aperuisti lancea latus meum. Ego ante te praevi in columna nubis : et tu me duxisti ad praetorium Pilati. Ego te pavi manna per desertum : et tu me cecidisti alapis et flagellis. Ego te potavi aqua salutis de petra : et tu me potasti felle et aceto. Ego propter te Chananaeorum reges percussi : et tu percussisti arundine caput meum. Ego dedi tibi sceptrum regale : et tu dedisti capiti meo spineam coronam. Ego te exaltavi magna virtute : et tu me suspendisti in patibulo crucis. Populo meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? Responde mihi.* 3° Passus est ex dilectorum ipsorum discipulorum suorum derelictione, quo, medio in infortunio, cordi amanti nil durius : *Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt* (Matt. 26, 56). Quem dolorem ipsemet praedixerat : *Percutiam pastorem, et dispergentur omnes oves gregis* (Ib. 31). 4° Passus est, ab ipso amicissimo Petro, Apostolorum capite, ejuratus. 5° Passus est, ab uno

ex intimis suis, a Juda proditore, ad mortem traditus. Hunc autem dolorem inter omnes acerbissimum adeo persensit, ut inde spiritu turbatus fuerit : *Cum haec dixisset Jesus, turbatus est spiritu, et protestatus est, et dixit : amen, amen, dico vobis : quia unus ex vobis tradet me* (Jo. 18, 21). 6° Passus est, prospiciens multos, non obstante sua passione, in aeternum perituros; prospiciens et blasphemias, scelera, sacrilegia, impietatem etiam ex parte Christianorum; prospiciens et denique crudelissima suorum martyria. 7° Passus est, non ab hominibus tantum, sed et ab ipso Patre suo derelictus : *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* (Matt. 27, 46). *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum : quia scriptum est : Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Sic nos servavit a sententia damnationis, accipiens in cruce quasi poenam damni et maledictionem : *Discedite a me maledicti.*

Haec omnia praevie in horto passus est : inde juxta Marcum et Matthaeum, *coepit pavere, et taedere, et contristari, et moestus esse.*

II. In anima passus est omnis generis opprobria. Opprobriis Christi ita insistit S. P., ut si attente puncta contemplationum in fine libelli proposita considerentur, videatur in illis ea omnia quae ad opprobria pertinent

prae ceteris omnibus selegisse et congessisse. Ad hoc quippe ante omnia attendit, sicut jam diximus, ut opprobriorum Christi amorem et imitationem exercitanti inculcet. Sciebat enim et de perfecta humilitate dici posse : *Omnia bona mihi venerunt cum illa.*

Haec omnia intime sentire, magna Dei gratia est ; gratia autem dabitur ei qui animo magno et cum liberalitate se exercuerit. Hinc S. Fundator impigrum ab exercitante laborem requirit : *et hic incipere magno nisu, et conari ad dolendum, tristandum et plangendum ;* in hac enim re non multum ii proficient, quorum *pedes pigri sunt ad ambulandum* (Sap. 15, 15) ; requirit S. P. et *magnum nisum et conatum.* Hic enim nisus omnino requiritur ut fiat per tres gradus qui hic indicantur ascensus. A simplici dolore, qui eximius jam sensus est, processus fit ad intimam animae tristitiam, quae ubi creverit, et quodammodo intumuerit, erumpet in planctus. Eo nempe venerunt B. Virgo, Joannes, Magdalena, ceteraeque cruci astantes animae : *et aspicient me, quem confixerunt : et plangent eum planctu quasi super unigenitum, et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Jerusalem* (Zach. 12, 10, 11).

Notandum est illum nisum et *laborem* et in duobus sequentibus punctis pariter a S. P. requiri. Hic autem labor, etiamsi, ex divina probatione, cordis affectus non adsit, eo magis Christo placeret et esset majus amoris testimonium, quod inconcussae fidelitati merces consolationis non responderet.

Quintum punctum, *considerare quomodo divinitas se abscondit, scilicet, quomodo posset destruere inimicos suos, et id non facit, et quomodo sinit pati sacratissimam humanitatem tam crudelissime.*

Exceptis duobus miraculis quae in horto, cum turbam jussit retrorsum cadere, et auriculam Malcho restituit, ad conversionem Judaeorum et maxime Judae patravit, nullum miraculosum factum Jesus edidit; immo post illa tantum duo miracula, dixit : *haec est hora vestra, et potestas tenebrarum.* Ab eo momento divinitas se abscondit : *Comprehenderunt autem eum* (Luc. 22, 53-54).

Quo vero sensu divinitas se abscondit? Oculis scilicet hominum, quatenus nullo modo impedivit quominus daemonum satellites suam in eum rabiem exercerent : *haec est hora vestra et potestas tenebrarum.* Non tamen otiosa erat in Christo divinitas. Non enim opprobria et tormenta sustinebat Jesus nisi ex divina voluntate. Nequaquam certe scelera eorum

qui tradiderunt Jesum voluit Deus, sed posita libera illorum immanitate, voluit ut humana in Christo voluntas passionem susciperet ad gloriam Dei et ad animarum salutem : *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (Rom. 8, 22). Divinae illi voluntati non solum obtemperavit Christus, sed propter suum in nos ineffabilem amorem, cum incenso desiderio ei occurrit! *Quomodo coarctor donec illud perficiatur!*

Voluntas autem illa divina quomodo operata est, ita tamen ut absconderetur? Non solum non destruendo inimicos, quod fuisset justissimum et Deo facillimum, sed *sinendo pati sacratissimam humanitatem tam crudelissime.* Huic dispositioni penitus obsecundans Jesus, sivit, omni justae defensionis jure omisso, Judaeorum, gentilium, tortorum ac daemonum rabiem ac immanitatem in se exerceri. Quantus in hoc amor! *Dilexit me, et tradidit semetipsum pro me* (Gal. 2, 20). *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus : qui cum malediceretur, non maledicebat : cum pateretur, non comminabatur : tradebat autem judicanti se injuste* (1 Petr. 2, 21-23). Sed praesertim quanta, ex absconsione illa divinitatis, Christi abjectio! Quid sunt

humiliationis exempla quae dedit in vita sua, si cum humiliationibus Passionis comparentur? Cum inter homines versabatur, multa miracula ejus divinitatem cum splendore et populi admiratione testabantur, adeo ut paucis ante diebus inter Judaeorum acclamationes Jerosolymam triumphans esset ingressus; et ecce nunc, omni fama apud populum amissa, velut hebes ac stolidus irridetur, alapis caeditur, sputis deturpatur, ut vilis deceptor habetur, accusatur ut malefactor, ligatur et trahitur ad tribunalia ut reus mortis, veste stultorum induitur, postponitur homicidae, flagellatur ut servorum vaferrimus, ridicule coronatur, plaudente populo damnatur ad turpissimum crucis supplicium; in cruce pendens et atrocissime dilaniatus, irridetur ac subsannatur : *si Filius Dei est, descendat nunc de cruce;* et horrenda illa inter opprobria, silet; sinit haberi se ut sceleratum, ut omni potestate destitutum, ut merito damnatum : inter quae quasi homo perditus exhalat animam. Hoc scandalum, vel potius hanc infinitam humiliationis abyssum eundo ad Passionem discipulis suis praedixerat : *Omnes scandalizabimini in me in nocte ista.*

Nota voces *tam crudelissime,* tam quoad dolores quam quoad opprobria : nota quomodo

S. P., qui tantopere ab omni exaggeratione abhorrebat, barbarum hic adhibeat superlativum, ut excessus Jesu ex parte saltem exprimat.

Sextum punctum. *considerare quomodo haec omnia patitur pro peccatis meis, etc. : et quid debeo ego facere et pati pro illo.*

Eximium hic habes unctionis illius, quae propria S. Ignatio est, specimen. Nil, ut vero affectu semper, in verbis simplicius; nil in re profundius; nil, quoad sensum, quod ipsam animae medullam intimius penetret ac pervadat.

Postquam omnigena et horrenda Christi Domini nostri opprobria et supplicia vehementissime, per nisus suos et per gratiam, persensit et cum indignatione ac compassione exhorruit exercitans, convertit se ad auctorem tantae crudelitatis, et cum stupore, cum indignatione, cum ingenti dolore, contritione, amore auctorem seipsum agnoscit eorum omnium quae dulcissimus et innocentissimus Agnus Dei pertulit : HAEC OMNIA *patitur pro peccatis meis*. Hinc, dum reincidimus in primam hebdomadam, perficitur et sublimatur pudor ac confusio; ardentissimo amore amplius atque amplius delentur in aqua lacrymarum peccata; peccatorum odium acuitur

inextinguibile, atque ad generosam, per poenitentias, reparationem ac vindictam anima incenditur.

Cur post voces : *pro peccatis meis additur, etc.?* Quia non ad expiationem solum peccatorum passus est Jesus. Tot enim supplicia, tot opprobria perferre voluit, ut excessus passionis amoris ejus excessum patefacerent; ut excessu meritorum ejus ditesceremus; ut tanta perferens nos ad minora perferenda animaret; ut eum vulneratum, dilaniatum, opprobriis ex amore nostri saturatum intuentes, in amorem ejus raperemur : *charitas Christi urget me;* ut sublimia virtutum, ac praesertim humilitatis et patientiae nobis praeberet exempla; ut tandem in omnibus tribulationibus nostris esset nobis solatio.

En quae Jesus innocens, en quae Jesus Salvator meus et Deus meus passus est pro me peccatore; et ego, qui tam crudelis passionis causa et auctor exstiti, Christum ita patientem immotus aspiciam, et nihil faciam, nil patiar pro eo qui peccatum meum et debitas peccato meo poenas tanto cum amore in se assumpsit? Nequaquam; sed videns Jesum pro me ita fixum in cruce pro peccatis meis, et multa faciam pro eo et multa patiar. At quanto melius et penetrabilius ista S. Pater

pauculis hisce vocibus aureae et quodammodo divinae simplicitatis atque unctionis plenis expressit : *et quid debeo ego facere et pati pro illo. Pro illo :* in colloquio primi Exercitii primae hebdomadae coram Christo crucifixo pudor et confusio maxime intentebantur; ast hic quamvis iterum pudor et confusio adsint, omnia tandem in amorem continuo crescentem convertuntur, et in omnimodam sine mensura liberalitatem; hinc electionis, quaecumque ea sit, mira confirmatio. *Facere* enim in mente S. P. innuit electionem vitae apostolicae, et *pati* labores et aerumnas.

Methodus contemplationis per colloquium concluditur : *Terminare colloquio ad Christum Dominum nostrum, et in fine Pater noster.*

Notae quam circa colloquia S. P. subjicit, sic R. P. Roothaan insistit : « Copiosa doc-» trina de colloquiorum usu, quae hic tradi-» tur, non cursim legenda, aut leviter praete-» reunda; est enim longe utilissima; et si cum » iis, quae de eodem argumento habentur in » fine primi Exercitii primae hebdomadae, » conferantur, plena habebitur de colloquiis » fructuose instituendis instructio, nobis om-» nibus qui eorum usum quotidianum habere » debemus, saltem in matutina meditatione, » peropportuna. » Verissima illa sunt; ast

notae S. P. et alia explicatio est addenda. Sic ait S. P. :

Advertendum est, sicut superius et ex parte declaratum est, quod in colloquiis debemus ratiocinari et petere juxta subjectam materiam, scilicet, prout me reperio tentatum vel consolatum, et prout desidero habere unam virtutem vel alteram; prout volo disponere de me in unam partem vel in alteram; prout volo dolere vel gaudere de re quam contemplor : tandem petendo ea quae magis efficaciter circa res aliquas particulares desidero. Et hoc modo potest (quis) facere unum solum colloquium ad Christum Dominum nostrum, vel si materia, vel devotio ipsum (ad hoc) moveat, potest facere tria colloquia, unum ad Matrem, alterum ad Filium, tertium ad Patrem, eadem forma prout dictum est in secunda hebdomada, in meditatione de Binariis, cum nota quae sequitur post Binarios.

Cur S. P. doctrinam de colloquiis divisit, ita ut partem unam in prima hebdomada, alteram autem in tertia proponeret? Si pure theorica esset illa doctrina, eam procul dubio integram ab initio exposuisset; at Exercitia sunt essentialiter practica, nec nisi suo loco, scilicet cum opportunae sunt et in praxim reducendae, res veniant oportet : immo valde inopportuna in prima hebdomada fuissent quae hic de colloquiis dicuntur; fuissent et

praematura pleraque et nociva. Quae enim hic traduntur, ad electionem status roborandam vel confirmandam diriguntur. Jam vero contra mentem undecimae Annotationis ivisset S. P., si praedicta documenta ab initio posuisset. Sic enim illa Annotatio sonat : *Ei qui accipit Exercitia, in prima hebdomada prodest, ut* NIHIL *sciat eorum, quae facturus est in secunda hebdomada.* Si hoc circa Mysteria tenendum, quanto magis circa ea quae ad electionem status spectant?

In prima hebdomada ea solum de colloquiis exposuit S. P. quae tunc temporis erant aut necessaria aut utilia. Nimirum de reverentia simul et fiducia in colloquiis adhibenda tractavit : *servus ad Dominum, amicus ad alterum;* tractavit de gratia petenda, de spontanea communicatione; addidit pro prima hebdomada : *incusando seipsum mali alicujus commissi.* Omnia autem quae ad secundam et tertiam hebdomadam pertinent, uno verbo generali, ex quo ne suspicio quidem eorum oritur quae tunc agentur, expressit : *et petendo consilium in illis.* De his jam ait : *ex parte declaratum est.*

Hoc autem loco, peracta jam secunda hebdomada et facta electione, quo nunc pertingere colloquia debeant, satis clare, quamvis cum admirabili prudentia, exponit. Et primo

quidem cujus naturae, maxime in praesenti, colloquia esse oporteat, duabus vocibus exprimit : *ratiocinari et petere.*

Unde fit, ut S. P. in his duobus colloquii essentiam ponat, sileat autem de affectibus, qui in fine praesertim contemplationis sunt eliciendi? Non equidem excludit affectus : immo eos supponit, atque ardentissimos in decursu contemplationis praeparat atque excitat. Quis hoc non videat in colloquio primi omnium exercitii cum Christo crucifixo, et in illo quo inferni contemplatio concluditur? Sed solidum ac durabilem, non sterilem et mobilitati obnoxium, affectum requirit; talis autem hic non erit, nisi ratiocinio, velut fundamento, et profundae intellectus convictioni innitatur. Ratiocinia autem colloquiorum S. P. N. talis naturae sunt, ut non veros tantum, sed et vehementes affectus eliciant. Sic in colloquio de peccatis ratiocinatur quaerendo *quomodo cum Creator esset, eo devenerit, ut hominem se fecerit, et ab aeterna vita venerit ad mortem temporalem, et ita ad moriendum pro meis peccatis.* Ratiocinando quid inveniet exercitans, nisi incredibilem Christi amorem, qui ita dilexit non amicum, sed inimicum, a quo tot ac tantis peccatis mortaliter est confossus? Inde necessarius, inde profundissimus pudoris, con-

fusionis, contritionis affectus. Ratiocinando autem circa seipsum et percontando quid ipse pro Christo amantissimo egerit, quid agat, quid sit acturus, quasi sponte iidem sensus valide convalescent, cum magno sui ipsius contemptu et odio. Sensa illa velle se ratiocinando excitare ipsemet S. P. testatur, cum in fine illius colloquii dicit : *Atque videndo illum talem, et ita fixum in cruce,* DISCURRERE *per ea* (SENSA) *quae se obtulerint.* Ita ille, qui in omnibus ratione duce semper incedens, affectibus, ubi soli, sine ratione et operibus essent, parum fidebat.

Ratiocinatione igitur ac petitione colloquia constare volebat : *juxta,* ait, *subjectam materiam.* Materiam autem, ut ipsemet subinde exponit, non tam mysterium ipsum, sed subjecti practicam dispositionem respiciebat. Nam hoc loco iterum finem sibi propositum, scilicet status vitae apostolicae electionem prosequitur. Cum autem facta jam electione, in periculum, propter tentationes et desolationes, possit adduci exercitans, ab hac probatione initium facit : *prout me reperio tentatum vel consolatum;* tunc enim, cum tentatione ac desolatione turbatur, sola ratione et oratione juvari potest. *Et prout desidero habere unam virtutem vel alteram :* et hoc iterum ratio-

cinando circa Christi amorem et exempla obtinebitur. Dein casus venit ceteris immixtus, quem maxime intendit S. P. : *prout volo disponere de me in unam partem vel in alteram.* Res intelligitur, sed ita exprimitur, ut non videatur S. Ignatius in unam vel alteram partem exercitantem velle pertrahere ; negotium enim illud relinquit cum Christo tractandum, juxta decimam quintam Annotationem. *Prout volo dolere vel gaudere de re quam contemplor : dolere* ad tertiam pertinet hebdomadam, *gaudere,* ad quartam. Ultimo loco cetera omnia, et iterum ipsa electio ac quaevis vitae dispositio, veniunt, juxta divinas motiones, quas exercitans in decursu praecedentium Exercitiorum est expertus. Nota voces *magis efficaciter,* quae non sine consilio ibi appositae sunt : *tandem petendo ea quae magis efficaciter circa res aliquas particulares desidero.*

Nota sic concluditur : *Et hoc modo potest (quis) facere unum solum colloquium ad Christum Dominum nostrum, vel si materia* (ut superius diximus intellecta), *vel devotio ipsum (ad hoc) moveat, potest facere tria colloquia, unum ad Matrem, alterum ad Filium, tertium ad Patrem, eadem forma prout dictum est in secunda hebdomada, in meditatione de Binariis, cum nota quae sequitur post Binarios.*

Notam sequentem in hunc locum subjicit P. Roothaan : « Cur S. Pater passim remittit » ad formam trium colloquiorum positam in » fine meditationis de tribus classibus? Cur » non potius ad eam, quae ponitur in fine » meditationis de duobus Vexillis, ubi multo » fusius eadem colloquiorum forma exponi- » tur? Idque, cum in meditatione de Classi- » bus ad praecedentem de Vexillis ipse remit- » tat? — Fortasse ut hac occasione *Notam* » illam, adjectam in fine Classium, quae sane » momenti est maximi, frequenter in memo- » riam revocet, ejusque usum nobis commen- » det. Hoc loco certe hanc mentem esse suam » insinuat, cum notam illam expresse comme- » moret, et in colloquiis prae oculis haben- » dam esse moneat. » Verissima sane illa sunt, sed intimam S. P. N. mentem non videntur detegere. Si enim S. P. de hac sola nota fuisset sollicitus, satis ei fuisset, remittendo ad colloquia de Vexillis, eam commendare. Cur igitur ad colloquia de Binariis, non autem de Vexillis remittit, cum forma eadem in utrisque sit? Ratio desumenda videtur, non ex forma, sed ex valde diverso fine illarum meditationum, et consequenter earum colloquiorum. Meditatio de duobus Vexillis hunc finem habet, ut detegamus ex una parte notas

quae vexillum Luciferi distinguunt, cupiditatem nempe divitiarum, vanum honorem et superbiam, et ab illis nobis caveamus, atque eas abhorreamus; ex altera vero, ut notas Vexillo Christi proprias agnoscamus, et Christum pauperem, opprobriorum amantem et humilem imitemur. In colloquio autem, eo petitiones sistunt ut admittamur sub vexillum Christi, sin minus cum actuali, saltem cum spirituali paupertate. At non ita in meditatione de Binariis; hic enim ex professo de actuali paupertate et omni perfectione amplectenda agitur, et in hunc sensum fit triplex colloquium, ita ut colloquium de Vexillis sit quasi praeparatio ad colloquium de Binariis. Ideo notam illam, de qua P. Roothaan, posuit S. P., non post meditationem de Vexillis, sed post Binarios, quia supremus fit hic assultus, ut anima Deo vocanti tandem obsequatur et ad perfectionem evangelicam, atque ad vitam apostolicam generose et constanter ascendat.

Methodum meditandi, quam modo ex S. P. N. exposuimus, qui bene intelligit et familiarem habet, vix erit necesse ut aliud ei ad meditandum tradatur, praeter passionis historiam. Instructus enim sex illis clavibus, quas puncta appellat S. P., facillime et cum eximio fructu recondita omnia Passionis ipsemet

aperiet. Ideo S. Fundator in secunda Annotatione, in qua praecipue de Mysteriis agit : *Ille qui tradit alteri modum et ordinem ad meditandum, seu contemplandum, debet narrare fideliter historiam talis contemplationis seu meditationis, discurrendo solum per puncta* (scilicet puncta qualia intelligit S. P., nimirum personas, verba, opera etc.), *cum brevi seu summaria declaratione* (scil. historiae, quae materia contemplationis est, divisa in partes, seu in ea quae nos puncta meditationis dicimus.)

At cum librum hunc scribamus non pro iis qui suscipiunt, sed pro iis qui tradunt Exercitia, immo et pro omnibus Nostris qui Mysteria Christi explicant, declarationem paulo fusiorem utilem fore existimamus. Praeterea cum protrahi possit tempus hebdomadae, plures quam S. P. posuit contemplationes proponimus, quae, ubi tempus erit constringendum, in pauciores componi poterunt, non autem omitti : nam exigit S. P. ut Passio integra decurratur. Inde integram omnino Passionem in his Commentariis tractabimus, ac pro communi utilitate, siquidem hanc facultatem S. P. concedit amplissimam, eam in partes dividemus.

Tertiae Hebdomadae

Prima dies

PRIMUM EXERCITIUM

MATTH. 22, MARC. 14, LUC. 22.

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, *erit adducere in mentem historiam, quae hic est, quomodo,* postquam Judas prodiderat Jesum et redierat, *Christus Dominus noster misit duos discipulos in Hierusalem ad parandam cenam : ac dein ipse venit ad illam cum ceteris discipulis, et comedit agnum paschalem.*

Secundum praeambulum, *compositio, videndo locum. Hic erit, considerare viam a Bethania in Hierusalem, an lata, an angusta, an plana, etc. Similiter locum cenae, an amplus, an exiguus, an formae hujus, vel illius.*

Tertium praeambulum, *petere id quod volo. Erit hic (petere) dolorem, sensum, et confusionem, quod ob mea peccata Dominus eat ad Passionem.*

Dolor atrocitatem Passionis respicit; *sensus* vero est cognitio illa *intima,* de qua S. P., quaeque ab illuminatione et unctione Spiritus Sancti procedens, dat intime sentire quid sit

Dominum meum et Deum meum tam horrenda opprobria ac tormenta pati *pro meis peccatis;* inde cum incremento doloris, *confusio;* inde contemptus et odium mei.

Primum punctum. — *Judae proditio. Appropinquabat autem,* ait Lucas, *dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha : et quaerebant principes sacerdotum et Scribae, quomodo Jesum interficerent : timebant vero plebem.* En quo tamdiu dilecta Deo et tot beneficiis cumulata gens, nunc vero ingrata et perfida, devenit, ut ipsi sacerdotes ejus ac doctores Messiam sibi a saeculis promissum atque exspectatum, quin de identitate ejus indagent, conentur interficere. Vae gentibus quae a Deo recedunt!

Non potuerat Satanas de divinitate Christi certior fieri; videbat autem eum mira ad Dei gloriam et salutem plebis patrare. Hinc, cum a tempore rebellionis suae illum summo haberet odio, invidiam sacerdotum incendit et ministrum sceleris sui eis praeparavit Judam, unum ex duodecim. *Intravit autem Satanas in Judam, qui cognominabatur Iscariotes.* Non utique intrasset, nisi ipsum sui dominum jamdudum fecisset Judas. *Nemo repente fit summus.* Vide nunc quo pervenire possit, non quivis solum homo, immo et sacerdos ac religiosus, sed etiam Apostolus ab ipso Christo per

triennium cum amore informatus ac tot miraculorum testis et patrator, cum uni passioni indulgens, exiguam etiam rimam hosti infernali incipit aperire. Post optima initia, coepit Judas ex avaritia a Christo declinare : a parvis furtis ad magna perrexit; a fure factus est impius et hypocrita, ab impio Christi proditor, a proditore deicida, a deicida sacrilegus, a sacrilego desperabundus, a desperabundo sui occisor, ex sui occisore damnatus in aeternum. *Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, et suspensus crepuit medius : et diffusa sunt omnia viscera ejus* (Act. 1, 18). En quo ducit Lucifer, ut vidimus in med. de Vexillis, laqueo divitiarum. Ceteri Apostoli olim pauperes cum Christo paupere, cum Christo nunc regnant in caelis.

Et abiit et locutus est cum principibus sacerdotum et magistratibus, quemadmodum illum traderet eis : et venalem aestimans Dominum caeli et terrae, ait illis : *Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam? At illi constituerunt triginta argenteos : et spopondit — et gavisi sunt.* Sui vero sceleris conscii et sibi providentes, prudenter addiderunt : *Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.* — Et inde Judas *quaerebat quomodo illum opportune traderet.* Hinc hypocrita redit ad Jesum in Betha-

niam, ut patrandi sceleris occasionem certius exploret.

Scit Jesus scientia divina omnia, sed nec Judae indignatur, nec facinus ejus aut ipsi exprobrat, aut ceteris aperit Apostolis; silensque Patri suo omnia committit, et Judae miseretur, nil non facturus ut cor ejus moveat et immutet : at frustra : *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit* (Prov. 18, 8).

Considera hic quid in anima sua, quid in corde suo patiatur Jesus humiliatus, contemptus, venditus, ut interficeretur, neque id ab inimico, sed ab uno ex intimis suis discipulis : *si inimicus homo maledixisset mihi, sustinuissem utique; tu vero homo unanimis, qui simul mecum dulces edebas cibos* (Ps. 54, 14). Considera et patientiam ejus, qui divinam occultat scientiam ac potentiam, et Judam benigne excipit ac convertere conatur, nedum eum destruat.

An non forte et ego Judas fui, accipiendo cum specie pietatis Jesum in SS. Sacramento et vendendo eum Satanae pro vili aut pecunia aut voluptate? Nec me destruxit et in infernum detrusit Jesus, sed patienter expectavit et poenitentem cum amore amplexus est.

Secundum punctum. — Paschae praeparatio.

Et primo die Azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli : Quo vis eamus, et paremus tibi ut manduces Pascha? Quam longe aberant boni Jesu discipuli, ut suspicarentur quale eo anno Pascha eis pararet, carnem et sanguinem suum, et totius sanguinis sui in cruce effusionem! Sciebat autem Cor Jesu, et coarctabatur usque dum hoc perficeret. *Desiderio desiderari hoc Pascha manducare vobiscum.*

Et mittit duos ex discipulis suis (Petrum et Joannem), *et dicit eis : Ite in civitatem : et occurret vobis homo lagenam aquae bajulans, sequimini eum : et quocumque introierit, dicite domino domus, quia Magister dicit : Ubi est refectio mea, ubi Pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse vobis demonstrabit cenaculum grande, stratum : et illic parate nobis.* Coram infideli ac perfido Juda, qui inde non movetur, probat Jesus et praescientiam et divinitatem suam, ea praedicendo quae de se mere contingentia sunt, sed divina ejus voluntate et potentia fient, videlicet *occursum hominis lagenam aquae bajulantis,* et assensum *domini domus,* et *demonstrationem cenaculi,* quale illud vult Christus, *grande et stratum.* Cur Christus, qui stabulum ad nascendum eligit, et ignominiosum Calvarium ad moriendum, cenaculum divitis grande, stratum pro In-

stitutione SS. Eucharistiae voluit? Ut scilicet doceret Ecclesiam suam quanta cum reverentia, amore ac magnificentia Sanctissimum Sacramentum tractare deberet, ubi tandem Christus voluntariam pro salute nostra opprobriorum et tormentorum seriem absolvisset; ita ut, quemadmodum in caelo gloria coronatur, ita et in terris gloria et amore coronetur. *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te* (Jo. 17, 1). Hinc tot templorum, altarium, paramentorum magnificentia.

Cum autem cenaculum grande, stratum, duo discipuli non nisi in domo divitis invenire potuissent, et, ut erant pauperes piscatores, talem adire domum ausi ex se non essent, jubet eos Christus, ubi servilem hominem lagenam aquae bajulantem viderint, eum sequi et introire *quocumque introierit,* ac domino domus, absque ambagibus, non petitionem, sed voluntatem divini Magistri et Domini manifestare : *Ubi est refectio mea?*

Superiorum est jubere in Domino. Jubet, non dure, sed jubet Christus Dominus; ait ad Apostolos : *ite... sequimini quocumque;* ad dominum autem domus dici vult : *magister dicit : Ubi est refectio mea?* Non petit concedi locum, sed : *ubi est,* etc. Ita procedere debent

ii omnes qui Dei auctoritatem habent; unica enim est, divina scilicet, auctoritas; nec alio quam Dei nomine potest exerceri. Ubi auctoritas illa alicui communicatur, huic omnino tanquam Deo ipsi, ubi peccatum abest, prompte, sine ratiocinio et libenter est obediendum. Facilius erat Apostolis, tot Christi praesentis miraculorum testibus, et ejus divinitatis consciis, obedire; nobis autem, Christum non videntibus, difficilior obedientia est, sed, quia ex fide est, multo est etiam et Deo gloriosior et nobis magis meritoria. Et hic dici debet : *Beati qui non viderunt, et crediderunt* (Jo. 20, 29).

Fructum suae obedientiae collegerunt Petrus ac Joannes, et miraculosam praedictionum Jesu adimpletionem admirati sunt. *Et abierunt discipuli ejus, et venerunt in civitatem : et invenerunt sicut dixerat illis, et paraverunt Pascha.* Non misit Jesus fratres Petrum et Andraeam, aut Jacobum et Joannem. Ab omni enim carnali affectu liberos eos esse vult qui ipsum in Apostolatu sequuntur.

Tertium punctum. — *Esus agni paschalis.* A quindecim jam saeculis, scilicet ab egressu de Aegypto, immolabatur in singulis familiis agnus ille paschalis, non in commemorationem tantum praeservationis primogenitorum

Judaeorum ab Angelo exterminatore per sanguinem agni postibus impositum, sed et, idque maxime, in figuram Agni illius, qui a S. Praecursore designatus : *Ecce Agnus Dei,* sanguinis sui effusione mundum erat ab aeterna exterminatione redempturus, ac suos carne sua et sanguine refecturus. Hinc in illa Hebraeorum cerimonia, omnia et sacrificium crucis et sacrificium eucharisticum praefigurabant. Agnus ille, ut perfectam Christi aetatem, innocentiam et virilitatem significaret, debebat esse anniculus et masculus; carnes ejus debebant assari igne, ut Christum exhiberent solo sui amoris igne in cruce et in Sacramento consumendum; cum eo edi debebant azimi panes, quales in conficienda SS. Eucharistia forent semper adhibendi : *expurgate vetus fermentum* (1 Cor. 5, 7). Cum lactucis agrestibus mandendus erat, in signum amarae illius poenitentiae, quae perceptionem Sacramenti debet praecedere. Sic autem jusserat Dominus ut agnum comederent : *Renes vestros accingetis,* in signum continentiae et puritatis, quae a communicaturis requiritur; *et calceamenta habebitis in pedibus,* ut profecturi ex Aegypto : quo Christiani figurantur, qui Agnum Dei in hoc exilio comedunt, donec ad caelestem patriam tendant; *tenentes baculos*

(quibus crux Christi et nostra significabatur) *in manibus, et comedetis festinanter : est enim Phase (id est transitus) Domini.* Festinus ille Domini interficientis in una nocte primogenitos omnes aegyptiacos transitus, festinum Jesu transitum ad Patrem praenuntiabat, in quo omnes potestates inferni contrivit, et liberavit nos. Festinando etiam ad Passionem se manducandum dedit discipulis.

Vespere autem facto venit cum duodecim, scilicet cum iis novem qui ab eo non discesserant et Juda, et cum Petro ac Joanne qui, parato Paschate, redierant ad Jesum. Eos comitare tu, qui jam scis ad quid eat Jesus; contemplare personas, audi verba, Jesu praesertim amantissimi; introspice divinissimum Cor tam magna ex amore cogitans; considera quid patiatur cum respicit Judam.

Intrabo cum Jesu et Apostolis in cenaculum; omnia respiciam, mensam, assatum agnum, azymos panes, lactucas agrestes, et circum mensam, Jesum et Apostolos cum baculis. Haec omnia de exitu ex Aegypto Apostoli intelligebant; Jesus autem de Passione et Eucharistia. Quid sentit Cor ejus, dum excoriatum et assatum manducat agnum, implendam modo sui figuram. Audiam eum dicentem : *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare*

vobiscum, ANTEQUAM PATIAR. Contemplabor sensus Apostolorum, non omisso Juda, ad ultima illa verba, et ad sequentia, quibus ad Passionem praeparat Jesus animos : *Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei,* quod regnum a morte ejus incipiet.

In fine colloquium cum Christo, et *Pater noster.*

SECUNDUM EXERCITIUM

MATT. 26, MARC. 14, LUC. 22, IO. 13.

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum *est adducere (in mentem) historiam, quae hic est, quomodo postquam comedit agnum paschalem, et cenavit, illis lavit pedes, deditque sanctissimum corpus suum ac Sanguinem pretiosum suis Discipulis.*

Secundum et tertium praeambulum, sicut in praecedenti Exercitio.

Primum punctum. — *Cena,* quae solemnior post esum agni paschalis fiebat. Contemplare Jesum et Apostolos more solito mensae accumbentes. Inter cenandum, ante sanctissimi Sacramenti institutionem, ut apparet ex Luca, commune vinum accepit Jesus, et ut

paterfamilias illud obtulit dilectis suis discipulis, ultima quidem vice, nam ubi hoc factum est, mortem suam illis annuntiavit : *Et accepto calice, gratias egit, et dixit : Accipite et dividite inter vos. Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.*

Ingrederè nunc Cor Jesu, et vide quid patiatur ex parte Judae proditoris, magnoque nisu conare ut sentias quid sit pro benigno Jesu prodi coram Apostolis ac universo populo ab uno ex intimis ac tam dilectis discipulis : *Et edentibus illis, dixit : Amen, dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est.* Cerne nunc territos ac contristatos Apostolos, idque sine causa, saltem ex parte sua; nam qui graviter peccat scit se peccare et nemo repente fit summus : *et contristati valde coeperunt singuli dicere : Numquid ego sum, Domine? At ipse respondens, ait : Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.* Cum omnes cum Jesu ita manum intingant, neque nunc Christus indicat proditorem; sic adhuc famam ejus servat. Attamen declarans nosse se eum, et magnitudinem sceleris ejus ostendens, eum convertere conatur. *Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo : vae autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur : bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Quis praeter illum, qui, infinitis

gratiis conculcatus, se mancipium diaboli fecerat ut Dominum suum ac Deum nefande traderet, tam tremenda verba audiens non exhorruisset, suoque proposito, detecta proditione, non renuntiasset? Ast catenis diaboli per factum contractum tenebatur, et pecuniam acceperat; inde infernalis obduratio et insensibilis animus. Nedum resipiscat, audacter et sine sensu protervus ille Christo continuo respondet : *Respondens autem Judas, qui tradidit eum, dixit : Numquid ego sum, Rabbi?* Si talis mihi impacta fuisset a proditore meo injuria, quid fecissem? Poterat Jesus illico eum destruere ac praecipitem dare in infernum; dure saltem videbatur Judas increpandus ac coram discipulis confundendus. Non ita sentit Jesus, abscondensque suam divinitatem, pacifice et quasi ad aurem respondet : *Ait illi : Tu dixisti.*

Secundum punctum. — *Lotio pedum,* post esum agni paschalis et cenam communem. *Et cena facta,* ait Joannes, *cum diabolus jam misisset in cor ut traderet eum Judas Simonis Iscariotae : sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exivit, et ad Deum vadit :* scilicet sciens se talem ac tantum, Deum scilicet omnipotentem, verum Dei Filium, ad dextram Patris gloriose sessurum, nihilominus

eousque demittere se voluit, ut suarum creaturarum lavaret pedes. Iisdem in verbis et causae cur laverit continentur; nimirum 1. Cum ei Pater omnem salutis hominum curam *dedisset in manus,* summum et saluberrimum humilitatis et charitatis exemplum pro testamento, antequam ad Deum vaderet, relinquere voluit; 2. Non nobis tantum prodesse intendit, sed et per profundissimam et quodammodo infinitam sui abjectionem summam dare Deo gloriam; *a Deo* enim *exivit,* et, per consequens, eum infinite diligit. Nulla quippe re Deus magis honoratur et delectatur quam nostra humilitate.

Surgit a cena, et ponit vestimenta sua : et cum accepisset linteum, praecinxit se. Deinde mittit aquam in pelvim, et coepit lavare pedes discipulorum, et extergere linteo, quo erat praecinctus. Quare minutas illas circumstantias Evangelista descripsit, nisi ut oculis conspiceretur quomodo hic Christus a nemine adjutus omnem servilis personae conditionem ex amore abjectionis in se assumpsit? An minus aestimas aut minus diligis Christum, quia eum vides ad pedes discipulorum prostratum? E contra : « Quanto pro me vilior, ait S. Ber» nardus, tanto mihi carior. » Ita res procedent omnibus qui se cum Christo, non ficte

sed vere ac sincere humiliaverint. *Qui se exaltat, humiliabitur; qui se humiliat, exaltabitur.* Durum quidem est, iis saltem qui stultitiam crucis nondum sapiunt, sincere se humiliare : sed propria Christi et Christianorum virtus humilitas est. « Humilitas, ait S. Macarius » hom. 15, est Christianismi signum, quo qui » caret, vas est diaboli. » Nullum ex iis quos Sanctos dicimus reperies, qui non per humilitatem ad sanctitatem pervenerit.

Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus : Domine, tu mihi lavas pedes? Ita humilis Petrus stupens coram tanta Christi humilitate et charitate : Tu Deus ac Dominus meus, sordes pedum meorum absterges, cum sim nihil et peccator. Nondum enim mysterium Christi intelligebat Apostolus; postea tantum et humilitatis documentum, et puritatis illius signum quam Sanctissima requiret Eucharistia intelliget. Interea exigit Christus obedientiam. *Respondit Jesus, et dixit ei : Quod ego facio tu nescis modo, scies autem postea.* Debuisset quidem hoc Petro sufficere; sed cor ejus et amore et reverentia scinditur, dum dilectum videt Dominum ante se prostratum et vili servi forma indutum : solebat enim amantissimus ille Salvatoris sui discipulus cordis impetum potius quam divinam etiam

rationem sequi. Hinc iterum obsistit : *Dicit ei Petrus : Non lavabis mihi pedes in aeternum.* Ast, adhibito ipso amore Petri, discipulum illico vincet Jesus. *Respondit ei Jesus : Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Si minas mortis intentasset Christus, mortem accepisset Petrus; sed non amplius partem habere cum Jesu, qui ipsi mille vitis carior est, hoc intolerabile est; et illico mutuo amore devictus, cedit : *Dicit ei Simon Petrus : Domine, non tantum pedes meos, sed et manus, et caput.* Quam bene Petro illa verba Th. Kemp. conveniunt : « Amor modum saepe nescit, sed super om- » nem modum fervescit. » *Dicit ei Jesus : Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet,* scilicet ut se a pulvere levium culparum purget, quae facile in hac terrestri habitatione contrahuntur, et sic ad Sanctam Eucharistiam se disponat; *sed est mundus totus.* Et en iterum cogitat de Juda Jesus, ac ejus proditionem renuntiat, omisso tamen ejus nomine : *Et vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum : propterea dixit : non estis mundi omnes.*

Dum lavat Petri pedes Jesus, contemplare cordis utriusque sensus : contemplare, dum cum tenerrimo amore pedes Judae lavantur et abstergentur, et cor Jesu et cor proditoris.

Sequere Jesum singulorum Apostolorum pedes lavantem et contemplare personas, earumque affectus et lacrymas.

Postquam ergo lavit pedes eorum, et accepit vestimenta sua (extima) : *cum recubuisset iterum dixit eis : Scitis quid fecerim vobis?* Dixerat Petro : *scies autem postea;* et ecce mysterium explicat, et inculcat humilitatem. A fortiori argumentatur : *Vos vocatis me Magister, et Domine : et bene dicitis : sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus, et Magister : et vos debetis alter alterius lavare pedes,* scilicet ceteris omnibus vos supponere. In hunc sensum dixit in sua Regula S. P. N. « In omnibus rebus » procurando atque optando potiores partes » aliis deferre, omnes in animo suo tanquam » sibi superiores ducendo, et exterius hono- » rem ac reverentiam, quam exigit cujusque » status, cum simplicitate et moderatione re- » ligiosa exhibendo. »

Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis : secus enim non solum fratribus vestris vos superiores facietis, sed et mihi, qui, vestros pedes serviliter lavando, me infra vos omnes abjeci. Sic enim suum ad extremum usque perstringit argumentum, et de essentia Ecclesiae suae esse humilitatem confirmat. *Amen, amen dico*

vobis : non est servus major Domino suo : neque Apostolus major est eo qui misit illum.

Dura illa fortasse visa sunt Apostolis qui mundanam gloriam nondum exuerant, et paulo post de primatu erant disceptaturi? Ast dura in cortice tantum, sicut cetera omnia praecepta et consilia Christi Domini; in re autem dulcissima et suavissima : *Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris*. Diaboli *molliti sunt sermones super oleum, ipsi autem sunt jacula*. Christi autem Jesu, qui veram nobis simul cum honestate felicitatem attulit, sermones in lingua quidem duri sunt sed mel et lac habent sub lingua. Durissimum naturae videtur humiliationes et opprobria perpeti, sed sub opprobriis pro Christo susceptis latet humilitas, quae nihil habet quod non sit dulcissimum. Ut autem unam esse et perfectionis et verae felicitatis viam Christus Apostolis ostendat, addit : *Si haec scitis, beati eritis si feceritis ea*. Hinc pax magna cum Deo et cum proximo : hinc charitas et omnes gratiae Dei.

Tertium punctum : *Institutio SS. Eucharistiae.*

In corpore Exercitiorum ait cum summa reverentia S. P. : *deditque* SANCTISSIMUM *Corpus suum, et Sanguinem* PRETIOSUM *suis discipu-*

lis... et ivit Judas ad vendendum (tradendum) *Dominum suum,* quibus duobus ultimis verbis magnitudo sceleris declaratur.

In fine autem libelli inter Mysteria sic ait : *Instituit Sanctissimum Sacrificium Eucharistiae in maximum signum sui amoris, dicens : (Accipite et comedite). Finita cena, Judas exit ad vendendum Christum Dominum nostrum.*

In maximum signum sui amoris. Haec verba cum solis verbis, quae Sanctissimae Eucharistiae Joannes consecravit, mire consonant : *Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Cena facta,* etc. *In maximum signum sui amoris.* Unde *maximum,* cum Christus ipse dixerit : *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis?* Hoc de hominibus, qui ultra ire non possunt, intelligendum, non de Christo qui Deus et homo est, et per consequens, excogitare potest et exequi quae nullus hominum valet. *Maximum,* i. e. non solum majus ipsa Passione, sed tantum, ut ultra amor ejus ire non potuerit : vere enim hic Christus *in finem dilexit,* non solum ad finem usque vitae suae, et finem saeculorum, sed usque ad fines ultimos, quo pertingere possit Dei Salvatoris omnipotentia, sapientia et bonitas.

Certum quidem est Christum nobis gratias

omnes et ipsam Eucharistiam per Passionem suam promeruisse : nihilominus sanctissima Eucharistia culmen est ipsa Passione superius, idque ex triplici praesertim capite : extensione, duratione et intentione.

1. *Extensione*. In cruce solum fuit sacrificium. In SS. Eucharistia habetur et sacrificium, et communio et realis praesentia.

2. *Duratione*. In cruce, per aliquot horas, *Christus semel pro peccatis nostris passus est* (1 Petr. 3, 18). In sanctissima vero Eucharistia, cum eodem amore et merito infinito singulis momentis diei ac noctis offert se in sacrificium, et ita se offert ad finem usque saeculorum. *Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda* (Mal. 1, 11). Praeterea ad finem usque mundi, ubicumque altare et tabernaculum fuerit, die ac nocte, quamvis latens, realiter praesens erit Christus qualis est in caelo, ut quisque, quoties libuerit, eum adire valeat et cum eo familiariter colloqui. Tandem, et in hoc infinitus est amoris excessus plenus miraculis soli Deo possibilibus, seipsum dedit, factus animarum nostrarum cibus et potus, jussitque nos et suo sanctissimo pasci corpore ac pretioso suo sanguine recreari. *Caro enim mea*

vere est cibus, et sanguis meus vere est potus (Io, 6). Mater amplecti potest ac stringere filiolum suum, at nihil ultra; Jesus autem per miraculum divinae suae potentiae ultra infinite procedit; carnem suam et sanguinem suum ita cum carne nostra et sanguine commiscet, ut, per ineffabilem unionem, unum simus cum ipso, et fiat communicans continens Christum, et Christus continens communicantem, qua miraculosa unione nulla, praeter divinarum Personarum in SS. Trinitate, major esse aut fingi potest. O mysterium fidei! O mysterium amoris! *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo* (Ib.).

Ad quid autem mirabile illud convivium instituit? Non certe quia emolumentum aliquod illi inde accedit, sed simpliciter quia amat. Amat autem ut quae sua vita est, et nostra vita sit : *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem; et qui manducat me, et ipse vivet propter me* (ib.) *Ego dixi : dii estis, et per me, filii Excelsi omnes* (Ps. 81, 6). Amat, et per Sacramentum membra nos sua efficiens, aeternae suae gloriae consortes esse concedit : *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum* (Jo. 6).

3. *Intentione*. Quam intensum nobis in hoc

Sacramento amorem exhibuerit, apparet ex praevisis ab eo tot fidelium, immo et sacerdotum sacrilegiis, irreverentiis omnis generis. Quantum autem haec senserit ac sentiat, apertissime famulae suae Mariae Margaritae, cum ei Cor suum ostenderet, declaravit. In ipsa prima institutione, quid non jam passus est ex parte Judae sacrilegi, perfidique omnium sacrilegorum antesignani?

Contemplare jam, sex S. P. N. punctis adhibitis, Cenae eucharisticae institutionem, ex Paulo (1 Cor. 11, 23, sqq.) desumptam; simul et ordinationem Apostolorum.

Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit, et dixit : Accipite, et manducate : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur : hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam cenavit, dicens : Hic calix novum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit sanguinem Domini indigne : reus est corporis et sanguinis Domini.

Post divina Mysteria perrexit Jesus et ait :

Verumtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa. Idem sic narrat Joannes : *Cum haec dixisset Jesus, turbatus est spiritu, et protestatus est, et dixit : Amen, amen, dico vobis, quia unus ex vobis tradet me. Aspiciebant ergo ad invicem discipuli, haesitantes de quo diceret. Erat ergo recumbens unus ex discipulis ejus* (Virgo Joannes) *in sinu Jesu, quem diligebat Jesus. Innuit ergo huic Simon Petrus et dixit ei : Quis est de quo dicit? Itaque cum recubuisset ille supra pectus Jesu, dicit ei : Domine, quis est? Respondit Jesus : Ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Judae Simonis Iscariotae. Et post buccellam, introivit in eum Satanas. Et dixit ei Jesus : Quod facis, fac citius. Hoc autem nemo scivit discumbentium ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, quod dixisset ei Jesus : eme ea, quae opus sunt nobis ad diem festum : aut egenis ut aliquid daret. Cum ergo accepisset ille buccellam, exivit continuo. Erat autem nox.*

Judas exiit ad tradendum Jesum. Actum erat de Jesu : jam non coarctabitur donec Passio sua perficiatur. Ideo tunc, *cum exisset* Judas, dixit Jesus : *Nunc clarificatus est Filius hominis, et Deus clarificatus est in eo...* et cum amore finem suum discipulis suis fidelibus annuntians, ait : *Filioli, adhuc modicum vo-*

biscum sum. Quaeretis me : et sicut dixi Judaeis : Quo ego vado, vos non potestis venire.

In fine colloquium, et *Pater noster.*

Tertium exercitium erit repetitio utriusque praecedentis.

QUARTUM EXERCITIUM

Sermo Christi post cenam

JO. C. XIV, XV, XVI, XVII

Solita oratio praeparatio.

Primum praeambulum erit quomodo, post exitum proditoris, sermonem habuit Christus cum discipulis, in quo 1. Eos consolatus est. 2. Commendavit unionem sêcum et inter se. 3. Obfirmavit eos contra persecutiones, quas eis praedixit. Finem fecit per colloquium cum Patre.

Secundum praeambulum, compositio loci, i. e. cenaculi.

Tertium praeambulum, idem ac superius.

Primum punctum. — Tristes de abitu suo discipulos consolatur Jesus. *Non turbetur cor vestrum*. Turbationis causae plures erant. Proditoris denuntiatio, lapsus Petri praedictus, praedictus et Christi abitus : sibi igitur omni ex parte timebant. In hunc sensum respondet

Christus. Quamvis, ait, reversurus sim ad Patrem, nedum aliquid inde detrimenti capiatis, nec me perdetis, nec sinam ego vos perdi, et melius multo, post abitum meum, vobis erit. Etenim

1. Accersam vos eo quo vado, scilicet in caelum apud Patrem, modo in me credatis et mandata mea servetis. *Creditis in Deum, et in me credite : in me,* quia a Deo Patre missus in nomine ejus loquor, et quia essentia unus sum cum Patre. Dico igitur : *In domo Patris mei mansiones multae sunt. Si quo minus* (i. e. si non ita esset), *dixissem vobis : Quia vado parare vobis locum. Et si abiero, et praeparavero vobis locum : iterum venio, et accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis.* Dein, ut ansam det discipulis eum circa unicam eamdemque Patris et Filii essentiam interrogandi, ac eos doceat qua via et ipsi ad Patrem ituri sint, ait : *Et quo ego vado scitis, et viam scitis.* Sciebant quidem, ait S. Aug., sed se scire nesciebant. » scil. audierant saepius a Christo, sed nondum intelligebant. Inde

Dicit ei Thomas : Domine, nescimus quo vadis : et quomodo possumus viam scire? Terminum Patrem esse Christus docet, et se, viam. *Dicit ei Jesus : ego sum via, et veritas, et vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Si cognovissetis me, et*

Patrem meum utique cognovissetis. Agnoscebant enim Apostoli Christum esse vere Filium Dei, sed nondum sciebant et credebant Filium esse Patri *consubstantialem;* ideo addit continuo Jesus : *et amodo cognoscetis eum* (scil. in Pentecoste), et quasi divinum radium emittens prosequitur : *et vidistis eum.* At necdum capiebant; hinc cum mira sua cordis simplicitate et candore *dicit ei Philippus : Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis. Dicit ei Jesus : Tanto tempore vobiscum sum : et non cognovistis me?* Et suo eum nomine cum affectu appellans, addit : *Philippe, qui videt me, videt et Patrem. Quomodo tu dicis : Ostende nobis Patrem? Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me?* Duplicem dein rationem dat cur credere debeant : nimirum quia in nomine Patris loquitur, ideoque infallibiliter, et quia Pater dat ei, ad divinae suae missionis confirmationem, talia operari, ex quibus ejus infallibilitas et divinitas elucescit. *Verba, quae ego loquor vobis, in meipso non loquor. Pater autem* IN ME MANENS, *ipse facit opera.* Et eamdem interrogationem repetens, divinam illam immanentiam inculcat : *Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me? Alioquin propter opera ipsa* (in confirmationem verborum meorum facta) *credite.* Et inde ad secundam consolationem transit :

nimirum si crediderint, non tantum non derelinquentur, sed

2. Per Patrem et Filium, majora ipsi opera patrabunt, quam patravit in vita sua mortali Dei Filius : *Amen, amen, dico vobis, qui credit in me, opera quae ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet :* (v. g. Umbra ipsa Petri sanabit aegrotos; Christus paucos convertit; Apostoli converterunt mundum, et Ecclesiam fecere catholicam) idque praecise, *quia ad Patrem vado,* et nedum ibi divinitatem meam abscondam, miro modo, et in vobis et in Ecclesia eam manifestabo.

Et quamvis invisibilis vobis sim futurus, tamen vobis ita praesens et propitius ero, ut tunc alloqui me sicuti nunc et rogare possitis, et ego vos semper exauditurus sim : *Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam : ut glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam. In nomine meo :* ita ut non sit me indignum idem me petere a Patre meo. Si tale ergo sit quod ad Dei gloriam cedat, *quodcumque,* scilicet quantumcumque sit id quod petieritis, fiet vobis.

Sed nec spe, nec fide contenti sitis; habete et caritatem, quam per praestitam iis quae mandavi vobis obedientiam exhibebitis : *Si diligitis me, mandata mea servate.*

3. Si illa omnia feceritis, ego et Pater ipsam infinitam consolationem, scilicet Spiritum Sanctum nostrum vobis mittemus, qui vobiscum semper manebit : *Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum* (consolatorem, magistrum et advocatum) *dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum, vos autem cognoscetis eum : quia apud vos manebit, et in vobis erit.*

Neque ita Spiritus vobiscum manebit, ut non et ego vobiscum maneam. Et ecce cum tenerrimo affectu eos quos *filiolos* modo appelaverat, sic consolatione recreat : *Non relinquam vos orphanos : veniam ad vos,* scilicet cum resurrexero; nec diu manebo mortuus. *Adhuc modicum, et mundus me jam non videt,* nec post resurrectionem meam ipse amplius videbit : *vos autem videtis me* (i. e. videbitis, nam tam breve spatium inter praesens momentum et resurrectionem meam est, ut fere nullum sit), *quia ego vivo,* (i. e. non ero in potestate mortis) *et vos vivetis,* quia, cum sim vita vestra, resurrectio mea erit resurrectio vestra et ingens gaudium. Sed tunc praesertim gaudebitis, illuminabimini et transformabimini, cum Spiritum meum accipietis : *In illo die vos*

cognoscetis quia ego sum in Patre meo et vos in me, et ego in vobis...

Haec locutus sum vobis apud vos manens. Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret (id est, vivide intelligere ac sentire faciet, quae nescitis vos nunc scire) *vobis omnia, quaecumque dixero vobis.*

Concludit Christus post consolationis argumenta. Nedum abitus ejus discipulos turbare debeat, pacis illius quae propria Christo est, principium erit. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis : non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Hinc resumit propositionem initio expositam et jam probatam : *Non turbetur cor vestrum, neque formidet.* Immo nedum de profectione Domini tristari debeant, e contra de ea, propter amorem Christi, gaudere eos oporteret : *Audistis, quia ego dixi vobis : vado et venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique quia vado ad Patrem : quia Pater major me est* (quatenus homo sum). *Et nunc dixi vobis prius quam fiat : ut cum factum fuerit, credatis. Jam non multa loquar vobiscum. Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam. Sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio* (i. e. ex voluntate Patris libere ac vo-

luntarie eo ad Passionem). *Surgite, eamus hinc.*

Secundum punctum. — Commendat Christus discipulis, ut sibi semper et inter se conjuncti maneant.

I. Unio cum Christo. Dixerat Jesus. *In illo die vos cognoscetis quia ego sum in Patre, et vos in me et ego in vobis.* Nunc vero comparatione vineae ostendit quomodo sint in eo et ipse in eis, indeque concludit quanta eorum referat ut mutuam illam immanentiam servent. Quare autem non arborem quamcumque, sed vineam assumit? Primo quidem, quia vinum de vite modo elegerat, ut illud in sanguinem suum transmutaret; secundo, cum iret Christus ad crucem et mortem, nihil melius crucem et mortem repraesentabat quam vitis uvae. Sicut enim calcatae uvae vinum edunt, ita et Corpus Christi sanctissimum in torculari crucis contritum sanguinem quo mundus redemptus est effudit. Vinum et sanguinem quamdam inter se consanguinitatem habere ex libro Eccl. c. 50, v. 16, apparet, ubi de summo sacerdote dicitur : *Osias... libavit de sanguine uvae :* item ex Cant. Moysis Deut. 32, 14, *et sanguinem uvae biberet meracissimum.*

Ego sum vitis vera : et Pater meus agricola est. Ego secundum humanitatem, in qua Patre

minor sum, unitam tamen divinitati, sine qua tales salutiferos fructus edere non valerem. *Vitis vera,* id est eximia et perfecta, cui si ceterae vites comparentur, non sunt nisi vitium umbrae; imo ceterae, nisi palmites mei fuerint, nil poterunt producere, ideoque non erunt verae vites. Deus *Pater agricola est,* qui me vineam plantavit in terra, ut vino sanguinis mei orbem salvarem ac reficerem.

Quid faciet Pater, ut agricola? *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum : et omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.* Sic Pater tulit palmitem, Judam; vos autem mundavit et purgavit per sermones meos, seu doctrinam meam cui paruistis : *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis,* ideoque veri palmites mei estis. Reliquum vobis est, ut quidquid vobis eveniat, in me maneatis.

Manete in me et ego in vobis, sicut palmes adhaeret viti, ut ab ea vitam et virtutem accipiat, et vitis suscipit in se, seu potius ex se palmites educit, ut iis sibi adhaerentibus vitam et virtutem communicet. Exinde octo Christus affert argumenta, ut sicut boni palmites Viti divinae conjuncti discipuli permaneant :

1. Si non manserint, nullum ferent fructum :

Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite : sic nec vos, nisi in me manseritis. Fructus enim de quibus agitur, ordinis sunt mere supernaturalis ac divini, proindeque omnem humanam atque naturalem vim superant et excedunt : immo nec a Filio hominis produci possent, nisi hic simul esset Filius Dei. Cum autem unicus sit homo-Deus Christus, sequitur eum esse vitem veram quae supernaturales ac divinos fructus afferat, ceterasque ab ea vites falsas esse. Homines autem Dei palmites tantum sunt, qui nisi verae viti fide et charitate juncti fuerint, divinum fructum nullum afferent : *quia sine me nihil potestis facere.* Hinc vani sunt et ad salutem animarum inutiles eorum omnium labores, qui a fide defecerunt; inutiles per se et vanae eorum praedicatorum conciones, qui famam eloquentiae et dictionis elegantiam sectantes, *sua quaerunt, non quae Jesu Christi.* Receperunt mercedem suam, vani vanam.

2. Qui Christo, viti verae, fide et charitate adhaeserit, multum e contra fructum afferet : *Ego sum vitis, vos palmites : qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum.* Sic evenit Apostolis : *in omnem terram exivit sonus eorum, et usque ad fines terrae verba eorum.* E contra, haeresiarchae omnes, qui, nolentes amplius

palmites esse Christi, vites esse ipsi voluerunt, nullum fructum, sed venenata tantum folia mundo attulerunt.

3. Palmes qui in me non manserit, scilicet qui a fide et charitate defecerit, mittetur foras et in inferno ardebit : quod sequenti die erat Judae eventurum. *Si quis in me non manserit : mittetur foras* (excommunicabitur) *sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet* (in aeternum). — *Ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur* (Marc. 9, 43).

4. Si manseritis in me, exaudientur omnes orationes vestrae : *Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, et fiet vobis.*

5. Magnam Deo dabitis gloriam duplici ex capite : primo, quia fructum magnum ei afferetis; secundo, quia me ut magistrum accepistis : *In hoc clarificatus est Pater meus, ut plurimum fructum afferatis, et efficiamini mei discipuli.*

6. Attrahit dehinc eos magnete Cordis sui. Cui alii adhaereant, quam Servatori Filio Dei, qui eos adeo dilexit, ut amor ejus in discipulos amori illi assimilari possit quo ipsemet a Patre diligitur? *Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos.* Posito hoc argumento omnium potentissimo ac nobilissimo, redit ad propo-

sitionem : *Manete in dilectione mea,* scilicet manete in me, ut semper vos ita diligam.

7. Conditionem conservandae illius dilectionis ponit, praeceptorum ejus observationem, in qua est charitatis substantia : *Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea;* suique exemplum, in quo ultimum continetur argumentum, cum iterata assimilatione gloriosissima, proponit : *Sicut et ego Patris mei praecepta servavi, et maneo in ejus dilectione.*

8. Sic Christus gaudebit in discipulis, et ipsi discipuli gaudio replebuntur. Quo enim quis, vincendo seipsum, erga divinam Majestatem liberalior est, eo etiam magis, pro falso quod abjicit gaudio, vero gaudio abundat. *Haec locutus sum vobis : ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum implcatur.*

II. Unio Apostolorum inter se. Dilectio Dei et dilectio proximi tales sunt, ut una sine altera existere non possit, in ordine videlicet gratiae, de quo Christus agit. *Diliges Dominum Deum tuum... Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem* SIMILE EST *huic : Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet et Prophetae.* Hoc igitur loco universam legem suis tradit Apostolis; sed ab iis perfectius quid exigit, quia

Apostoli sunt. Non enim ipsis sufficit si proximum sicut seipsos diligant; oportet ut, ad exemplum Magistri sui, vitam pro proximis profundant. *Hoc est praeceptum meum ut diligatis invicem;* quam autem dilectio illa perfecta esse debeat, ex verbis quae continuo adjicit, intelligitur : *sicut dilexi vos.* Atqui usque ad vitae meae profusionem, quam modo videbitis, vos diligo; ergo et vos usque ad vitae profusionem diligite, in quo est apex charitatis. Etenim *majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Pro amicis suis,* scilicet pro iis quos diligit, quamvis ab iis non diligatur, aut forte mortali etiam odio habeatur. Sic enim dilexit Jesus Judam proditorem, sic dilexit tortores suos, sic dilexit homines omnes quos, sibi inimicos, effusione sanguinis sui redemit. Sic et Apostoli, coadjutores Christi, universos, quamvis sibi inimicos, tyrannos et tortores, diligere, ac pro iis animam ponere debebunt.

Observandi hujus praecepti naturae durissimi unicum dat Christus argumentum, quia unicum est, quod eos ad culmen illud possit evehere, scilicet amorem Domini ac Servatoris sui. Non autem veri ejus amici erunt, nisi heroïcum illud charitatis praeceptum serva-

verint : adeo sibi ipsi factum quod fit proximo existimat. *Vos amici mei estis, si feceritis quae ego nunc praecipio vobis.* Ut autem eos ad talem, qui in omnes homines refundatur, amorem sui provocet, proprium suum in eos amorem exaggerat : *Jam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos : quia omnia quae audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Non negat quidem servos esse Apostolos ; de essentia enim est, ut omnis creatura, non excepta Matre Dei, ancilletur et serviat Creatori ac Domino suo. Sed adeo amari servus potest, atque in eo confidi, ut in amicum transeat. Huic autem amicitiae suae signo, scilicet omnimodae fiduciae, addit Christus gratuitam Apostolorum electionem et ad sublimissimum Apostolatus ministerium : *Non vos me elegistis : sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat.* Tandem tantopere eos diligit, ut quodcumque petierint, eis sit ex amore concessurus : *ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.* Amor enim in bonorum communicatione consistit. Concludit Jesus enuntiando iterum praeceptum : *Haec mando vobis, ut diligatis invicem.*

Respondet dein Jesus objectioni sequenti : Anima quidem ponenda est pro amicis ; an

ponenda pro inimicis? Ex responsione Jesu patet charitatem ad omnes, sine ulla exceptione, debere extendi, ita ut Apostoli amici sint non iis tantum a quibus amantur, sed etiam iis quibus odio habentur : sic Christus fecit, et sequenti die pro inimicis moriendo faciet. Christus ita ratiocinatur : Mundus me odit, et ego pro salute mundi moriar; odio et vos suo persequetur; et vos igitur sicut ego vitam etiam pro salute hominum ponite. Cur autem ita charitatem etiam erga inimicos exerceant, plures rationes affert :

1. *Si mundus vos odit, scitote quia priorem vobis me odio habuit.* Non igitur est cur hoc miremini. Immo

2. Odium illud quodammodo necessarium est; nam mundum condemnabitis et doctrinam mundo contrariam et verbo et vita profitebimini. Si eamdem quam ipse circa divitias, honores, voluptates, injustitias, doctrinam sequeremini, mundus vos amicos, utpote eodem modo sentientes haberet; cum autem contraria mecum teneatis, vos utpote sibi adversarios odio infallibiter habebit : *si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret : quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Confer cum istis regulas de Disc. spir., in quibus uterque spi-

ritus, sive bonus, sive malus animam agitat, quando invenit sibi contrariam.

3. Si haberi odio passus sum, cum sim Dominus et Magister, a fortiori vos idem sustinere debetis : *Mementote sermonis mei quem ego dixi vobis : Non est servus major domino suo. Si me persecuti sunt, et vos persequentur : si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt,* scilicet non magis vestrum quam meum servabunt.

4. Propter me vos odio habebunt; quae ratio nobilissima est, et ad movendos Christi amatores omnium aptissima : *Sed haec omnia facient vobis propter nomen meum : quia nesciunt eum qui misit me,* et per consequens, non agnoscunt in me Messiam et Filium Dei. Idem in cruce, sed implorans misericordiam Patris, in caelum clamabit Jesus : *Pater, dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt.* Ast hic inexcusabiles Judaeos esse demonstrat.

5. Non solum me odio *gratis* habuerunt, sed et Patrem meum. Gratis ex parte sua, quia nedum ipsis in ullo nocuerim, omnis generis beneficia in eos contuli; ex parte mea, nam ita ad confirmandam divinitatem meam miracula congessi, ut si quid rectae voluntatis habuissent, nullatenus potuissent de divina mea missione dubitare. *Si non venissem, et*

locutus fuissem eis, peccatum non haberent : nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Ergo non in me tantum, sed et in Patrem qui me misit incidit odium eorum. *Qui me odit, et Patrem meum odit. Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent : nunc autem viderunt, et oderunt et me et Patrem meum.* Ergo *gratis : Sed ut adimpleatur sermo qui in lege eorum scriptus est : Quia odio habuerunt me gratis.*

Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me : et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.

Tertium punctum. — Praedicit Jesus Apostolis persecutiones, eosque obfirmat.

Haec locutus sum vobis, ut non scandalizemini. Absque synagogis facient vos (i. e. Judaei vos excommunicabunt); immo et interficient : *sed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo.* Sed impie id arbitrabuntur, quia noluerunt veritati exhibitae acquiescere : *Et haec facient vobis, quia* (ex culpabili infidelitate) *non noverunt Patrem neque me. Sed haec locutus sum vobis : ut cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis,* atque contra futura praedicta et praevisa obfirmemini.

Haec autem (tam specificata, et de me et de vobis) *ab initio* non dixi, *quia vobiscum eram,* et praesens vos contra adversa omnia confirmabam; *et nunc vado ad eum qui misit me : et nemo ex vobis interrogat me : Quo vadis?* Non solum de abitu ad ultimum terminum, ad Patrem hic loquitur, sed et de abitu ad terminum proximum, scil. ad passionem et mortem. Interius enim satis discipuli quae ventura erant tristissima, ex toties praedicta a Christo Passione praesentiebant, sed ex formidine et tristitia non audebant indagare : *sed quia haec locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.* Nedum de Passione hic expresse agat, videns Apostolorum tristitiam, paternoque corde ipsis compatiens, eos de discessu suo per futuram Spiritus Sancti missionem solatur, qui venire non poterit, nisi per mortem, resurrectionem et ascensionem ipse abierit : *Sed* ego veritatem dico vobis : *expedit vobis ut ego vadam : si enim non abiero, Paraclitus* (Consolator) *non veniet ad vos : si autem abiero, mittam eum ad vos.* Et continuo laetissima quae Spiritus Sanctus operabitur exponit : scilicet mundum ipsis inimicum condemnabit opprimetque, et apostolos per Christum in caelum assumptum illuminabit et confortabit. Etenim

Cum venerit ille, arguet mundum de peccato, et

de justitia, et de judicio. De peccato quidem, quia, non obstantibus tot signis et argumentis, *non crediderunt in me* Judaei, et cum iis indociles Gentiles; *de justitia vero* et mea et vestra, et consequenter de obstinatorum injustitia, quae apparebunt cum redivivus gloriose in caelum ascendero : *quia vado ad Patrem, et jam non videbitis me;* de judicio autem : *quia princeps hujus mundi* (Satanas et membra ejus) *jam judicatus est.*

Adhuc multa habeo vobis dicere : sed non potestis portare modo; sed ea vobis dicam per Spiritum meum quem mittam vobis : *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso,* quasi alia sibi propria et non eadem quae dixi vobis dicere posset; sed cum a me et a Patre meo procedat, et a nobis consequenter omnia, excepta personalitate quae distincta et propria est, per communicationem divinae essentiae accipiat, eadem quae ipsemet a Patre meo accepi docebit ac suggeret. *Ille me clarificabit,* ostendendo me verum esse Messiam et Filium Dei, *quia de meo accipiet,* quatenus et a me procedit et omnia a me accipit quae divinam personam non respiciunt, *et annuntiabit vobis,* ita ut ipsemet per meum et Patris Spiritum in saecula vos sit docturus.

Praemissis illis consolationibus, et non ante, ne dilectis suis discipulis nimium dolorem addat, redit ad tristem illam interrogationem : *Quo vadis?* Nec respondet : ad passionem, ad crucem, ad mortem; cavet enim Cor Jesu a crudeliore inferendo vulnere. Ideo tantum dicit : *Modicum, et jam non videbitis me,* scilicet ante diem expletum moriar et sepeliar; *et iterum modicum,* scilicet die a morte mea tertia, *et videbitis me; quia vado ad Patrem.*

Dixerunt ergo ex discipulis ejus (non ad eum, sed) *ad invicem : Quid est hoc quod dicit nobis : Modicum, et non videbitis me : et iterum modicum, et videbitis me : et quia vado ad Patrem? Dicebant ergo : Quid est hoc quod dicit, Modicum? Nescimus quid loquitur. Cognovit autem Jesus* (per divinam suam scientiam), *quia volebant eum interrogare, et dixit eis : De hoc quaeritis inter vos quia dixi : Modicum, et non videbitis me : et iterum modicum, et videbitis me.* Nolens autem eos nimium contristare, neque nunc explicat passionem, quae crudelior erat, sed corde intime commoto, dolorem tantum quem ex passione percipient enuntiat. *Amen, amen dico vobis : quia plorabitis et flebitis vos,* inter mortem et resurrectionem meam; *mundus autem gaudebit,* quasi de parta in me et in vos victoria; *vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur*

in gaudium per meam resurrectionem. Assumensque comparationem ex muliere parturiente, quae post duros sed breves dolores transit ad magnum gaudium, iterum lenit Jesus Apostolorum dolorem et sic eximiam cordis sui erga dilectos suos teneritudinem exhibet : *Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus : cum autem peperit pucrum, jam non meminit pressurae propter gaudium : quia natus est homo in mundum.* De suis propriis ac tam saevis in Passione doloribus oblitus, de solo Apostolorum dolore occupatur Jesus : *Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis : iterum autem videbo vos* (non ait videbitis me, sed videbo vos, quia ut amans pater gaudet, cum ab itinere reversus, filiolos suos iterum revisit), *et gaudebit cor vestrum,* idque in perpetuum, quaecumque veniant persecutiones : *et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Quod reipsa evenit : *Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quia digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (Act. 5).

Et in illo die, scil. cum acceperitis Spiritum meum, *me non rogabitis quidquam,* nec ad interrogandum, quia Spiritus meus docebit vos omnia, nec ad orandum; nam sufficiet vobis invocatio nominis mei apud Patrem. *In nomine Jesu Christi surge et ambula* (Act. 3, 6). *Amen,*

amen, dico vobis : si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Eousque non petierant in nomine Jesu, per cujus solam virtutem quasi omnipotentes erant futuri : *Usque modo non petiistis quidquam in nomine meo : petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* De gaudio discipulorum videtur Jesus iterum unice sollicitus; terribilem autem passionem quam modo ipse initurus est, iterum quasi nil reputat, modo suis bene sit Apostolis. Tale est Cor Jesu.

Haec in proverbiis (scilicet modo tecto et quasi per aenigmata, ita ut omnia subobscure tantum intelligatis) *locutus sum vobis. Venit hora* (descendentis in vos Spiritus Sancti, et partim etiam ab ipsa resurrectione mea) *cum jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis. In illo die, in nomine meo petetis : et non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, et credidistis, quia ego a Deo exivi. Exivi a Patre, et veni in mundum; iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem. Dicunt ei discipuli : Ecce nunc palam loqueris (Exivi... et vado), et proverbium nullum dicis. Nunc scimus quia scis omnia* (nam scivisti quae secreto inter nos dicebamus), *et non opus est tibi ut quis te interroget : in hoc credimus quia a Deo existi. Respondit eis Je-*

sus : Modo creditis? i. e. tantummodo nunc creditis? Ex quo apparet quantopere indigerent Apostoli Spiritu Sancto. Nam etiamnum imbecillis eorum erat fides, adeo ut post aliquot horas essent Christum deserturi : *Ecce venit hora, et jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, et me solum relinquatis : et non sum solus, quia Pater mecum est. Haec locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis;* nam quantumvis saeviant sive in me, sive in vos persecutiones, si in me confiditis, pacem habebitis. *In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum.*

Colloquium

Christi cum Patre

Quatenus homo-Deus est, Patrem suum eo modo alloquitur, ut summam ei reverentiam ac fiduciam exhibeat; minor est enim secundum suam humanitatem. Contemplare Jesum in sublimi illa conversione et elevatione in caelum; contemplare sensus et elevationem Apostolorum; omnia hic fiunt prorsus divina. *Haec locutus est Jesus : et sublevatis oculis in caelum, dixit : Pater venit hora* passionis et redemptionis generis humani; *clarifica Filium*

tuum, non ad ejus propriam gloriam *(gloria mea nihil est* Jo. 8, 54) sed *ut Filius tuus clarificet te :* nam nisi Filius fuerit clarificatus in passione et post passionem, id est agnitus ut verus Dei Filius ac mundi Redemptor, non poterit potestatem, quam accepit a Patre, salvandi eos quos dedit ei salvandos idem Pater, ad exitum perducere. *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam aeternam.* Vita enim aeterna ex illa clarificatione procedit. *Haec est autem vita aeterna : ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.*

Definitur, ut jam dictum est, gloria a S. Thoma : *Clara cum laude notitia;* scil. illustris ac pervagata notitia, ita ut qui illam habuerint rapiantur in laudem illius; laus autem non admirationem tantum, sed et amorem continet. In quo igitur clarificatio illa quam Jesus postulat consistit? In hoc nempe quod Christus, ut Filius Dei agnitus, mediante lumine et gratia Spiritus Sancti, noscatur adeo hominum genus dilexisse, ut pro eo post crudelissima tormenta et opprobria, vitam in cruce posuerit. Sic et cognoscetur quantopere Deus mundum, etsi indignum, dilexerit : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret : ut omnis qui credit in eum, non pereat,*

sed habeat vitam aeternum (Jo. 8, 16); de qua ait Jesus : *haec est autem vita aeterna, ut cognoscant,* etc. Si enim homines Filium Dei tanta pro ipsis a peccatis et ab inferno liberandis passum esse per Spiritum Sanctum cognoverint, rapientur in admirationem tantae demissionis et amoris, ac vicissim eum amabunt et sequentur usque ad aeternae vitae consecutionem. Hinc S. P. in tertio praeambulo ait : *ut cognoscam intime Dominum qui pro me factus est homo, ut eum magis amem et magis sequar.* Hinc etiam patet iis qui verbum Dei annuntiant, nihil magis cordi esse debere, quam ut et historiam et verba Christi ex Evangelio populis proponant : sic enim non suum, ut tot concionatores, sed Dei verbum annuntiant, quod gladius est anceps, ex omni parte acutus, ad medullam ipsam animae pertingens.

Dat dein Jesus Patri suo rationes ob quas clarificari meruerit; totus enim fuit in clarificando Patre, quod utinam coadjutores Christi moriendo dicere possent! *Ego te* (non me) *clarificavi super terram : opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam. Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate quam habui, prius quam mundus esset, apud te.*

Dein venit ad Apostolos, quos efformavit

et qui doctrinam ejus susceperunt, ut pro iis oret. *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. Tui erant, et mihi eos dedisti : et sermonem tuum servaverunt. Nunc cognoverunt quia omnia, quae dedisti mihi, abs te sunt : Quia verba, quae dedisti mihi, dedi eis : et ipsi acccperunt, et cognoverunt vere quia a te exivi, et crediderunt quia tu me misisti.* Ex his patet quanti fides momenti sit apud Deum; quia crediderunt Apostoli, orat pro iis Patrem Christus Jesus. In hunc sensum S. Ecclesia in commendatione animae dicit : « *Licet enim peccaverit, tamen Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum non negavit, sed credidit.* »

Pro Apostolis igitur orat Patrem, ut serventur in gratia, in unitate, et ut in salute animarum procuranda Deo se consecrent : *Ego pro eis rogo : non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt. Et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt : et clarificatus sum in eis* (scilicet me noverunt et in me crediderunt). *Et jam non sum in mundo, et hi in mundo sunt, et ego ad te venio.* Ubi Patri sic exposuit cur protegendi sint, scilicet, quia sui sunt sicut et Christi, dein quia fideles fuerunt, tandem quia eos in mundo est relicturus, petitiones suas cum sublimi reverentia incipit : 1. Ut sint unum cum Deo et inter se : *Pater*

sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi : ut sint unum sicut et nos. Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi custodivi : et nemo ex iis periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur. Nunc autem ad te venio : et haec loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis. 2. Ne persecutionibus mundi deterreantur, neve ejus contagione inficiantur : quod utrumque post adventum Spiritus Sancti perficietur : *Ego dedi eis sermonem tuum, et mundus eos odio habuit : quia non sunt de mundo, sicut ego non sum de mundo. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo. De mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo.* 3. Ut toti sint sanctificati, scilicet a mundo penitus segregati, et penitus Deo ac hominum saluti, sicut Christus, consecrati : *Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est. Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum. Et pro eis sanctifico meipsum : ut sint et ipsi sanctificati in veritate.*

Orat deinde Jesus pro iis omnibus qui ad finem usque mundi per Apostolos crediturі sunt, primo, ut sint unum cum Patre et Filio, atque unum inter se, dum vivunt in mundo; secundo, ut secum in caelis glorificentur. *Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui crediturі sunt per verbum eorum in*

me : ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te. Tanta enim eorum unio et caritas esse debet, ut similis ei sit, quae inter Patrem exsistit et Filium; haec conditio est, qua posita, unum erunt et ipsi cum Patre et Filio, et credet mundus in Jesum. *Ut et ipsi in nobis unum sint : ut credat mundus, quia tu me misisti. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis : ut sint unum, sicut et nos unum sumus.* Audi nunc quam ineffabiliter nos evexerit ad se : *Ego in eis, et tu in me : ut sint consummati in unum : et cognoscat mundus quia tu me misisti, et dilexisti eos, sicut et me dilexisti.* Exinde intellige quam merito dicat S. Petrus (2 EP. 1, 4) : *Per quem* (Jesum) *maxima et pretiosa nobis promissa donavit; ut per haec efficiamini* DIVINAE CONSORTES NATURAE.

Pater juste, mundus te non cognovit, ego autem te cognovi : et hi cognoverunt quia tu me misisti. Et notum feci eis nomen tuum, et (per Spiritum Sanctum) *notum faciam : ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis.*

In fine colloquium cum Christo et *Pater noster.*

QUINTUM EXERCITIUM

Applicatio sensuum ad SS^ae Eucharistiae

INSTITUTIONEM,

juxta 1^m, 2^m et 3^m Exercitium, cum oratione praeparatoria, praeambulis et finali colloquio, ut dictum est.

Secunda dies

PRIMUM EXERCITIUM

MATT. 26, MARC. 24, LUC. 22, IO. 18

Solita oratio praeparatio.

Primum praeambulum, historia. *Et erit hic quomodo Christus Dominus noster descendit cum undecim suis discipulis* (unus enim factus est discipulus et servus Satanae, Judas) *ex monte Sion, in quo Cenam fecit, per vallem Josaphat, relinquens octo ex illis in parte una vallis, et ceteros tres in Horti parte; ter orat : Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste; verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.*

Secundum praeambulum, compositio loci. *Erit hic, considerare viam a monte Sion ad vallem*

Josaphat, et similiter hortum, an latus, an longus, an hoc vel illo modo situs. Tunc nox erat.

Tertium praeambulum, *petere id quod volo, quod est proprium petere in Passione, (scilicet) dolorem cum Christo doloribus pleno, confractionem cum Christo fracto, lacrymas, poenam internam de tanta poena, quam Christus passus est pro me.*

Duo priora praeambula variam pro variis mysteriis materiam habebunt, sed cum eadem semper forma; tertii autem et materia et forma eaedem semper erunt, estque illud accurate considerandum. Si Christus inter homines ambulans tantum in me sui amorem per praecedentem hebdomadam excitavit, quanto majorem in tertia hebdomada excitabit intima, a Spiritu Sancto procedens, cognitio Christi pro me tam saeva et tam ignominiosa patientis ac pro me in cruce morientis! Quanto magis ad eum imitandum illa me incendet!

Duo primum a S. P. petuntur, nimirum *dolor* et *confractio,* quae non idem dicunt; synonyma enim non adhibebat ut idem exprimeret. Fractio quidem potest dolorem ad incitas productum exprimere; sed et aliud videtur innuere velle S. Ignatius, scilicet omnimodam humiliationis depressionem, propterea quod Divinitas penitus se abscondit, ita

ut Christus omnem suam potentiam amisisse videatur, et ludibrio omni ex parte expositus nulla amplius auctoritate, aestimatione et fama polleat : sic fractus dicitur homo, cum subito ab omnibus habetur contemptui. Hoc sensu vocem illam esse accipiendam eo magis censendum est, quod, in Passione, S. Patri praeplaceat Christi opprobriis quam doloribus insistere. Fractus igitur fuit Christus et doloribus et opprobriis. Suo modo, scilicet simpliciter et profunde, per disjunctam antithesin, sicut in tertio humilitatis modo, mirabilem unctionem S. P. exprimit : *dolorem cum Christo doloribus pleno, confractionem cum Christo fracto.* Haec in doloribus assimilatio vere amantium est. Idem dicendum de finali antithesi : *poenam internam* (scil. eam quae desursum est a Spiritu Sancto, qui spirat amorem) *de tanta poena quam Christus passus est pro me.* Non ait *pro nobis,* quo afficerer minus, sed *pro me,* quem tam insolentem, tam crudelem, tam ingratum peccatorem erga illum fuisse in prima hebdomada cum lacrymis agnovi. Quantum nihilominus me dilexit, ut tantam poenam pro me subierit : *Dilexit me, et tradidit semetipsum pro me. Charitas Christi urget me.* Ita pauculis verbis non exhauriendas affectuum venas aperit S. P.

Non tantum poenam internam petit S. Fundator, sed et *lacrymas,* quas in tertia reg. de discretione Spir., inter sensibiles consolationes reponit. Sic respondetur iis qui parum ferventes et inde caelestium consolationum expertes Sancto Patri opinionem attribuunt, non esse curandas spirituales consolationes, sed totum esse in solidis virtutibus reponendum. Utinam ii saltem solidas virtutes haberent! At nonnunquam accidit contrarium. Extraordinarias in via supernaturali gratias non suggerit Ignatius, sed ad spirituales consolationes, quae ad solidam virtutem plerumque juvant, in toto Exercitiorum decursu viam mirum in modum aperit. Quare enim in primis et affectuum et lacrymarum potentiam nobis Deus indidit, nisi ut sensibiliter Christum Jesum, cujus Cor tantopere nos amavit, redamemus, eique tanta pro nobis patienti condoleamus?

Primum punctum. — *Egressus in montem Oliveti. Primo,* ait S. P., *Dominus, finita cena, et cantans hymnum, profectus est ad montem Oliveti cum suis discipulis metu plenis : et relinquens octo in Gethsemani, dicens : (sedete hic, donec vadam illuc, et orem.)*

Contemplare egredientem e civitate Jesum in mediis noctis tenebris; hora enim erat cir-

citer nona. Ad quid egreditur? Ut eat ad terribilem passionem et ad mortem. Non solum non inde formidat, sed animose, et propter modo institutam SS. Eucharistiam, maximum sui amoris signum, et propter instantem ipsam passionem, quam ex amore nostri tamdiu concupiit, hymnum gratiarum decantat. Nondum enim in eo divinitas se abscondebat, ut fluctibus desolationum eum traderet. Contemplare in tenebris Apostolos Christum comitantes, metu plenos; modo quippe Jesus testamentum corporis et sanguinis sui jamjam profecturus iis condiderat, ac tenerrime eos consolando, tristissima praedixerat, scilicet persecutiones et proditionem Judae, quem furore actum exeuntem e cenaculo viderant.

Dum prae tristitia silentio procedunt discipuli, praeparat eos ad ventura Jesus, et ait : *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim : Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis.* Praedictio, etsi necessaria, erat tamen tristissima. Vide nunc Cor Jesu! Statim ut dolorem leniat, addit solatium : *Postquam autem resurrexero, praecedam vos in Galilaeam.* De instantibus autem suis propriis suppliciis nullo modo videtur esse sollicitus.

Auditis vocibus : *omnes vos scandalum patie-*

mini, contemplare Petrum, divinae Christi scientiae immemorem, atque, in suo amore offensum, quasi excandescentem. *Respondens autem Petrus ait illi : Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.* Iterum, ex amore quidem, sed cum praesumptione prorumpit Petrus, et stulte contradicit Christo; at retundit illico Jesus ejus praesumptionem, ostenditque malle se humilem peccatorem, quam justum superbe de se sentientem. *Ait illi Jesus : Amen dico tibi, quia tu hodie, in nocte hac, priusquam gallus bis vocem dederit, ter me es negaturus.* Ex hoc intellige quantum Deo displiceat superbia, et quantum in iis praesertim qui in ecclesia praesunt et sacra exercent, Christus humilitatem requirat. Humilibus enim dat Deus gratiam; et qui compassionem et misericordiam erga miseros peccatores exerceat is, qui propriam suam miseriam non sentiat? Quam humilis, quam benignus post triplicem lapsum erit Princeps Apostolorum, et quantum miserorum miserebitur ille, qui ad mortem usque propria peccata in conspectu totius orbis amare deflebit! *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (Rom. 8, 28). Sic in suis peccatis invenit S. P. N. admirabilis humilitatis thesaurum, quo praeclarissimam sanctitatem sibi coemit

Faciam et mihi ex peccatis montem, per quem ad Deum humilis ascendam, et, sicut Sancti illi, eo magis erga Christum afficiar quo plura mihi peccata benigne condonavit.

Quod lapsus fuerit hic quasi necessarius, ostendit ipse Petrus; nam sua in praesumptione se obfirmans, tam clarae Christi praedictioni iterum contradicens, obstinatius respondet : *At ille amplius loquebatur : Etsi oportuerit me simul commori tibi, non te negabo.* Sincerissimo suo amori fidebat Apostolus, sed quam eheu! mutabilis est humana voluntas, nisi profundae humilitati ac soli in Deum fiduciae innitatur.

Exemplum Petri ceteros Apostolos in eamdem traxit fidei et devotionis professionem : *similiter autem et omnes dicebant.* Et ecce statim ac hostis manus in Jesum injecerit, fugient omnes. Quis haec considerans propriam suam fragilitatem non reformidet, ac se Deo constanter conjunctum non teneat? *Beatus homo qui semper est pavidus!*

Dum haec loquuntur, Christus et Apostoli transeunt in valle Josaphat torrentem Cedron : *Egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron.* Hunc torrentem transierat et David, figura et pater Christi, fugiens a facie filii sui Absalom; idemque futura pros-

piciens, de Jesu in Ps. 109 scripserat : *De torrente in via bibet : propterea exaltabit caput.*

Praedictum a Christo scandalum ii saltem discipuli ferre debuissent, qui transfiguratum a gloria in monte Thabor Dominum conspexerant; cęteri ad tantam probationem erant imparati, ideoque in via eos reliquit Jesus. *Venit Jesus... in villam quae dicitur Gethsemani, ubi erat hortus, in quem introivit ipse et discipuli ejus. Et dixit* eis : *sedete hic, donec vadam illuc et orem.* De oratione dicit, non de passione, primo, ne eos ante tempus affligat, secundo, quia si de passione meminisset, non potuisset honeste cohibere quominus eum sequerentur.

Et assumit Petrum et Jacobum et Joannem secum, intimos scilicet illos, qui non tantum gloriam ejus viderant, sed et Eliam ac Moysen de excessu ejus, i. e. de futura Passione, loquentes audierant. Sic ut obedientiam doceat, alios assumit, alios autem relinquit.

Secundum punctum. — *Cum pervenisset ad locum,* ait S. Matt., i. e. ad hortum Oliveti, tunc qui *oblatus est quia ipse voluit,* signum dedit ut passionis suae fluctus eum invaderent; eodem momento, ut ait S. P., *divinitas se abscondit et sivit sacram humanitatem pati tam crudelissime.* Tunc scandalum incepit, illudque terribile;

nam ibi Christus, omni divinitatis specie exornatus, non tantum ut merus homo apparuit, sed ut homo dolore debilitatus atque omnino deficiens et abjectus. Facies ejus tota commutata est; oculi autem ejus, propter dejectionis animi oppressionem, quasi extincti. Quaecumque enim humana sunt in se assumpsit, excepto peccato : *in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Tanto enim ab eo momento internorum cordis dolorum pondere obrutus est, ut ei vera mortis agonia tum coeperit : *Tristis est anima mea,* dixit tribus discipulis, *usque ad mortem.*

Coepit contristari et moestus esse; Marc. addit : *et taedere. Coepit contristari :* unde? ex horrendis certe, quae jamjam imminebant, suppliciis atque ignominiis. Haec autem, abscondita Divinitate, et coram videbat, et, ut sentit homo, sentiebat. At multo magis vulnera cordis persensit, nimirum ingratitudinem, perfidiam et damnationem gentis suae, propriam suam et omnimodam derelictionem, proditionem Judae, negationem Petri et super omnia, cadentia in se, propter iniquitates nostras, dilecti Patris sui fulgura : *Attritus est propter scelera nostra* (Is. 53, 5). Et illa quidem, quasi damnatus, sine ulla, sive a Deo, sive ab hominibus, consolatione pati voluit. Dum con-

solationem a tribus suis discipulis quaerere videtur, et ait : *Tristis est anima mea,* ne responsum quidem accipit : stant quippe isti, propter proprium moerorem, quasi hebetes ac stupidi. *Et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit, et qui consolaretur, et non inveni.* Dabit bonus Jesus militibus suis, mediis in martyrii atrocitatibus, gaudium et laetitiam; ipse solus in profundum tristitiae barathrum, sine ullo solatio demergitur. Et hoc quidem propter me et propter peccata mea, quae immensa sua tristitia deflevit ac delevit : *Tristis est anima mea usque ad mortem.*

Et moestus esse : eo scilicet ejus tristitia, abscondente se divinitate, devenit ut, sicut inter meros homines in ingentibus doloribus accidit, sine animo esse videretur, fractus penitus, mente, corde, corpore fatiscens, oppressus, dejectus et ad agoniam deductus. Et hoc maxime est praedictum ab ipso noctis istius scandalum. Non enim amplius in statu illo infirmitatis ac desolationis suum agnoscebant discipuli Jesum, et inde ad omnem animi dejectionem ipsimet deducebantur. Sic Jesus amicos praesertim suos in ferendis internis animi tristitiis consolari ac suo exemplo sustinere voluit. Quis suas desolationes cum desolationibus Cordis Jesu comparare poterit?

Coepit *et taedere*. Ubi quis tristis est, eum rerum taedet omnium; quanto magis quando tristis est anima usque ad mortem! Christus, cum divinitas non abscondebatur, ex amore ardebat Passionis desiderio; nunc vero, et passio, et redemptio mundi, et oratio fiunt ei in taedium. Quid mirum, si nobis, quando in desolatione versamur, oratio, sacramenta, et quodammodo Christus ipse et Deus taedio sunt? Bene Christus in lib. T. Kemp. ait : « Non est totum perditum, si quandoque mi- » nus bene de me sentis. » Sed in talibus serva S. Ignatii documentum. Nil propterea omitte, vel immuta.

Ubi suam Apostolis tristitiam aperuit Jesus, suis eos consiliis contra lapsum praemunit : *Sustinete hic et vigilate mecum, et orate ne intretis in tentationem*. Quae tria opere et exemplo est confirmaturus.

Sustinete. Deum scilicet qui tentationem ad optimum finem permittit. Dura ex parte Dei, immo durissima quandoque tentatio est; hinc magna res Deoque gloriosissima et nobis valde proficua, in tentatione, in media tempestate, in imminente periculo, in summo rerum omnium spiritualium taedio, sustinere Deum, nec cadere animo. Ideo tam saepe in Psalmis et aliis sacris in locis ea vox adhibetur :

Qui SUSTINENT *te, non confundentur* (24, 3). — *Et te* SUSTINUI *tota die* (24, 5). — *Conforta cor tuum, et* SUSTINE *Dominum* (26, 14). — *Anima nostra* SUSTINET *Dominum* (31, 10). — SUSTINUIT *anima mea in verbo ejus, speravit anima mea in Domino* (129, 4). In Eccli. autem (2, 1 sq.) haec habentur cum magna utilitate et consolatione perpendenda : *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et praepara animam tuam ad tentationem. Deprime cor tuum, et* SUSTINE : *inclina aurem tuam, et suscipe verba intellectus, et ne festines tempore obductionis.* SUSTINE SUSTENTATIONES *Dei : conjungere Deo, et* SUSTINE, *et in humilitate tua patientiam habe. Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe : et in dolore* SUSTINE, *et in humilitate tua patientiam habe. Quoniam in igne probatur aurum et argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis. Crede Deo, et recuperabit te.*

Vigilate : scil. ne ex tristitia torpori vos tradatis, nam vigilat et insidiatur vobis inimicus, ut vos dejiciat. Vigilat autem qui fugit occasiones peccati; qui sensus suos custodit; qui ab initio tentationis fugit vel resistit, qui nunquam tutus est ab hoste, sed semper pavidus; qui per rimas peccatorum venialium non aperit diabolo ostium; qui nec per horam manet in peccato mortali.

Orate ne intretis in tentationem. Tentari non est peccatum, immo ei qui fortiter resistit, lucrum est et magnae in caelis gloriae occasio. Malum in eo est quod intretur in tentationem, dando consensum. Porro in magnis et productis tentationibus, certum est hominem, nisi eum adjuvet gratia, non posse ad finem usque resistere; gratia autem datur petentibus : *Petite, et accipietis.* Hinc patet orationis ad perseverandum necessitas. Vae iis qui solitas boni Christiani preces omittunt, nec in periculis Deum invocant!

Tertium punctum. — *Oratio in horto. Et progressus pusillum, avulsus est* (quo indicatur quam durum ipsi esset ita deserere dilectos suos discipulos; durum pariter Cordi ejus est avellere se aliquantulum ab animabus piis, ut salutaribus tempestatibus exerceantur) *quantum jactus est lapidis.* Docere nos voluit non ad creaturas, solatii causa, in tribulationibus et tristitiis, sed ad Deum per orationem et resignationem esse confugiendum.

Et positis genibus, procidit in faciem suam super terram orans. Contemplabor eum cum stupore et cum cordis affectu, et quaeram cur ita se prostraverit. 1. Ut ita significaret quanta premeretur afflictione. 2. Ut magnum nobis exemplum daret humilitatis, sine qua oratio

non succedit. 3. Ut summam, quatenus homo et creatura, Deo Patri exhiberet reverentiam. 4. Ut immane peccatorum nostrorum onus, quod in se susceperat, repraesentaret. 5. Ut ipse quasi reus et poenitens pro nobis se sisteret Patri, eique totum se ad castigationem offerret; quasi diceret : En ego pro hominibus reum me tibi dedo, o Pater, en totum me ad poenam eis debitam offero. Me unum flagella, corona, crucifige, ut hominibus parcas, eosque in gratiam recipias. (Corn. a L.)

Orans et dicens : Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste. Quatenus homo atque passibilis, orat Patrem, qui unus cum ipso est Deus. Prostratio ejus summam exprimit reverentiam; verba autem summam et tenerrimam fiduciam : *Pater mi;* conditio vero adjecta *(si possibile est)* perfectam resignationem. Ita et mihi orandum est.

Posito vero decreto ut Christus cum summo rigore per passionem suam divinae justitiae satisfaceret, res non erat possibilis, et erat inefficax oratio. Cur igitur Jesus petit? Ut ostendat quantum in eo pars inferior voluntatis tam horribilem passionem sentiat ac reformidet. Naturales enim sensus nostros habebat; at pars superior, scilicet voluntas

rationalis divinae voluntati consentiebat regebatque perfectissime partem inferiorem. Ergo quamvis naturaliter, sicut et nos, a tormentis et a morte abhorrere, tamen nulla, etiam in parte inferiore, aderat inordinatio. Sensus obediebat rationi, ratio autem Deo. Neque virtuti patientiae esset locus, si naturali sensui non esset patiendum; in hoc consistit patientia, ut qui patitur, passionem quidem etiam vehementer sentiat, atque ab ea naturaliter abhorreat, sed ex motivo supernaturali eam cum resignatione, immo cum gaudio accipiat.

Quid autem calix ille est, a quo tantopere abhorrebat Christus et quem in sortem suam a Patre accipiebat ad fecem usque exhauriendum? *Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* (Matt. 20, 22). Erant quippe (juxta Corn. a L.) 1. Peccata omnia et singula omnium et singulorum hominum, qui ab Adam fuerunt, sunt et erunt usque ad finem mundi, sacrilegia, homicidia, adulteria, libidines, furta, calumniae, blasphemiae, aliaque horrenda et infamia scelera. Illa enim omnia in se quasi sibi propria luenda et expianda suscepit; ac Deo Patri per tot nefanda offenso ac contempto satisfacturus, summam animi contritionem et dolorem elicuit, perinde ac

si ipse scelera ea omnia personaliter patrasset. 2. Praevisio omnium dolorum quos passuri erant Martyres; amicorum autem suorum doloribus magis afficiebatur Cor Jesu, quam suis. 3. Ingratitudo hominum, praesertim quod praevideret paucis hosce suos dolores profuturos, plurimos vero ob propriam culpam damnatum iri. 4. Afflictio Matris suae, praesertim cum cruci astaret; dolores enim Filii quasi gladii tranfixerunt animam Matris, et ex ea in Christum reflexi sunt. 5. Instans jamjam sibi passio et mors. Praevidebat enim Christus omnia et singula sua tormenta, cum omni eorum atrocitate et ignominia; praevidebat flagella, alapas, opprobria, irrisiones, blasphemias, mortem et crucem a Judaeis sibi infligenda, ac vivaciter dolorum singulorum magnitudinem et acerbitatem penetrabat et ponderabat, ut jam sibi illa pati videretur. Quae apprehensio tantam ei tristitiam et angorem intulit, ut gemeret, tremeret, langueret, pallesceret, viribus deficeret et pene concideret. 6. Fuga discipulorum, eorumque scandalum; nec non et eorum dolores ac perturbatio post mortem suam; atque super omnia proditio et aeterna Judae damnatio.

Compatere patienti Jesu, juxta eum prostratus, et disce eum imitari. Quando aridus

es et desolatus, forte orationem vel languide facis, vel decurtas, vel etiam omittis, cum tunc maxime grata Deo esset et tibi ipsi proficua. Non ita Jesus. Quamvis et proditus sit, et ab omnibus, etiam a Patre, derelictus summaque tristitia obrutus, sine intermissione cum filiali fuducia ait : *Pater mi,* et cum plena resignatione orando perseverat : *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.*

Qui orationem vel omittit vel somnolenter peragit, quia in desolatione est, satis ostendit quaerere se in orando, quae sua sunt, non quae Jesu Christi; ostendit et non intellexisse se orationem praeparatoriam, quam singulis exercitiis S. P. praemittit : *Petere a Deo Domino nostro, ut omnes intentiones, actiones et operationes* PURE DIRIGANTUR *in servitium et laudem divinae suae Majestatis.* Consolationes, aiebat S. Alphonsus noster, nec in hac, nec in altera vita mercedem habebunt; desolationes e contra, si generose vincantur, maximam. Nulla fructuosior oratio ea est, quae agonizando cum Jesu, fideliter tamen fit et cum conatibus, ut pure serviatur divinae Majestati.

In fine colloquium et *Pater noster.*

SECUNDUM EXERCITIUM

De agonia Christi

MATT. 26, MARC. 14, LUC. 22

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. Erit hic quomodo Dominus noster bis intermittit orationem suam ut discipulos visitet; quomodo perseverans in oratione per tres horas, confortatur ab Angelo, et quomodo sudat sanguinem.

Secundum et tertium praeambulum erunt eadem quae in praecedente exercitio.

Primum punctum. — *Dum Christus orat, tres discipuli dormiunt*. Contemplabor Jesum surgentem ex charitate ab oratione, et euntem ad dilectos suos tres discipulos : *Et venit ad discipulos suos, et invenit eos dormientes*.

Jam nunc hi praedictum scandalum patiuntur et taedio prostrati dormiunt; non enim amplius erat illis sicut nudius terdius. Advenit jam hora desolationis, et ecce penitus animo ceciderunt. Haec humana fragilitas est. Ubi sunt protestationes illae : *Etiamsi omnes... et similiter omnes dicebant?* Quam vere ait Spiritus Sanctus : *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine* (Ps. 117, 8)! Sed con-

templare Jesum et vide quid ex tali conversione et derelictione patiatur; nam quae intime sentimus, et Jesus ea sentire ad solatium nostrum et doctrinam voluit. Paulo ante in maximum signum sui amoris dederat discipulis corpus suum sanctissimum et pretiosum sanguinem; sermonem ad eos habuerat tenerrimum, in quo divini et paterni Cordis sui amorem in eos mirifice effuderat; proditionem Judae praedixerat, quo ad eos sibi conciliandos et commovendos nihil erat potentius; modo abyssum tristitiae in qua animo volvebatur, cum amore aperuerat : et en torpentes ac dormientes mediis suis in doloribus atque agonia invenit! Quando valebat, quando miracula patrabat, quando eos sua bonitate demulcebat, ei adhaerebant, paratosque se ad omnia pro ipso sustinenda profitebantur; et ecce, cum paulo post, abscondita divinitate, humiliatur et fatiscit Jesus, ne verbum quidem consolationis ei quaerenti respondent. *Et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit; et qui consolaretur, et non inveni* (Ps. 68, 21). Disce et tu, cum fortuna tibi adversabitur, tuorum etiam pati derelictionem : *servus* major non est Domino suo. Sed, sicut Jesus, ad Deum patrem confuge, qui neminem in se sperantem non amanter suscipit.

Neque suos discipulos, quamvis post tantum amorem torpentes, relinquit, aut arguit, aut exprobrat; sed benigne Petrum primo, qui primus in protestando fuerat, suscitat : *Simon, dormis?* Expergefacto Petro, expergefiunt Jacobus et Joannes, et ait Jesus : *Sic non potuistis una hora vigilare mecum.* Quam longe ab increpatione vox illa : *Sic non potuistis?* Non in mentem revocat modo factas ardentes amoris et fidelitatis protestationes, sed amice, ut non cadant, datas jam paulo ante commendationes repetit, ut fidelium suorum ad finem usque saeculorum mentibus impressae maneant : *Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem.* Sub laude tamen, eorum protestationibus alludens, rationem addit : *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Quam saepe, etiam post ardenter concepta proposita, miserae naturae nostrae infirmitatem experimur! Atque semper ita eveniet, cum amisso timore Dei ab oratione defecerimus. In consolatione suavissimum Dei servitium est; in desolatione vero, non ita. Inde S. P. N. in reg. 6 de disc. sp. ait sapientissime : *Licet in desolatione non debeamus mutare priora proposita, valde juvat* INTENSE *mutare se, ut* PUGNEMUS *contra ipsam desolationem; v. g. insistendo magis orationi, meditationi;* quibus addit poenitentias.

Suo nos exemplo Jesus ita agere docet : nihil sibi respondentibus discipulis, redit ad orationis locum, et instantius Patrem suum orat. *Iterum secundo abiit et oravit eumdem sermonem dicens : Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Iterum per unam horam eumdem sermonem, quin alia quaerat, sed cum expressa magis ad divinam voluntatem conformitate repetit : *Si non potest... fiat.* Sic in oratione cum fiducia perseverandum, etiamsi Deus non exaudire, immo non audire videatur.

Post secundam horam, iterum redit Jesus ad discipulos, quamvis tam frigide fuisset ab iis exceptus : *Et reversus, denuo invenit eos dormientes : erant enim oculi eorum gravati, et ignorabant quid responderent ei.*

Secundum punctum. — *Et relictis illis, iterum abiit et oravit tertio, eumdem sermonem dicens.* Ut fit in agonia, continuo in ejus anima crescebant tristitia, taedium et desolatio, ita ut magis ac magis cor ejus frangeretur et contereretur.

Tertia jam hora Jesus orabat, cumque jam ante orationem anima ejus tristis esset usque ad mortem, et cresceret continuo agonia, mortuus eo loco fuisset, nisi novae vires ei accessissent. Vires autem a sua divinitate accipere

potuisset; sed decretum erat ut ejus divinitas absconderetur, et abscondita sanctissimam Christi humanitatem sineret *pati tam crudelissime*. Confortabitur quidem, quia multa alia tormenta pati debet et mori in cruce. A quo ergo confortabitur? Non a Patre, qui eum videt omnium totius humani generis iniquitatum reum, sed per Angelum missum a Patre, i. e. per servum et creaturam, servus ipse et creatura pro nobis effectus. *Apparuit autem illi Angelus de caelo confortans eum*. Non consolatur Jesum Angelus, nec quidquam de ejus doloribus aufert vel minuit, sed ad multo majores dolores ferendos sacratissimam humanitatem ejus confortat. Contemplare Jesum Dominum tuum prae tristitia ad mortem usque attritum, et descendentem e caelo Angelum, qui probabiliter Gabriel fuit, Fortitudo Dei dictus. Quanta hic cum humilitate, reverentia, amore et compassione accedit ad Dominum suum ita humiliatum et ita patientem! Sicut ultimo supplicio devotis fel vino mixtum ad eos contra mortis angores confirmandos propinatur, ita et Angelus suo modo confortat Jesum. Ubi autem, impleto ministerio, in caelum revertitur, ecce tota curia caelestis compassione et amore Christi colliquescit.

Interim Jesus, fortior quidem factus, at cum

doloris incremento, pergebat in agonia; pergebat et in oratione, vel potius increscebat. *Et factus in agonia,* nedum quidquam de oratione remitteret, sicut nos solemus, *prolixius orabat.*

Evangelista dixerat de Jesu, non solum eum contristatum et moestum fuisse, sed et pavisse : *Coepit pavere.* Hoc ita exponit S. P. N. : *In tantum timorem venit ut diceret (tristis est anima mea usque ad mortem) et sudavit sanguinem tam copiosum, ut dicat S. Lucas : (Factus est sudor ejus sicut guttae sanguinis decurrentis in terram). Id quod supponit vestimenta fuisse plena sanguine.* Quae verba S. P. tantopere a Spiritu Sancto illuminati valde notanda sunt. Etenim ita Marcum interpretatur, quasi tristitiae et moestitiae principium fuerit pavor; et re quidem vera in principio ponit Evangelista ille pavorem. Ait enim : *Coepit pavere et taedere.* Unde igitur sic expavit Christus Dominus? Erat certe in praevisis et imminentibus suppliciis unde paveret; at ubi illa in eum irruerunt, constans et immotus tormenta omnia, flagellationem, coronationem, cruxifixionem, sustinuit. Unde igitur pavor ille, quem non nisi in horto passus est? Ex pugna quodammodo infinita quae inter peccata omnia propria sibi facta et infinitam divinae suae Per-

sonae sanctitatem conserta est. Immo cum Patrem suum infinito amore dignum sciret et infinite amaret, ubi se mortalium in Deum commissorum quasi reum sensit, tanto pavore, tanta tristitia contritus est, ut non sudorem tantum in fine per omnes poros emitteret, sed et ipsum sanguinem. Haec autem sanguinea sudatio pavorem quidem doloremque ostendit, sed et simul heroïcam Christi fortitudinem, qui, etsi a peccatis nostris infinite abhorrebat, ea in se tamen per vim ineffabilem suscipere voluit, ut nos ex amore liberaret ac Patri suo reconciliaret. Adverte piissimam S. Patris interpretationem qua probat copiosissimam fuisse sanguinis effusionem, et ita passum esse Jesum *tam crudelissime*. Haec tanta pro peccatis meis passus est Jesus : *quid ego debeo facere et pati pro illo?*

Tertium punctum. — *Et cum surrexisset ab oratione, venit tertio ad discipulos suos : invenit eos dormientes prae tristitia, et ait illis : Quid dormitis?* Subintelligit videlicet hic Christus : An locus somno est, quando hostis venit? Cum autem nondum prope esset Judas, et sine fructu discipulos moerore confectos excitasset, addidit : *Dormite jam et requiescite,* donec adventantium inimicorum tumultus eos excitaret.

Vide nunc et vigilantiae et orationis mo-

mentum. Tristes et moesti fuerunt Apostoli; fuit et Christus multo tristior et multo majori moerore confectus. Apostoli vero nec vigila runt nec oraverunt; exinde fracti viribus, adstantibus inimicis, a Christo turpiter fugient. Christus autem vigilavit et non tantum oravit, sed factus in agonia prolixius oravit : et ecce jam animose occurret ipsemet suis inimicis, et sine ulla trepidatione, sine gemitu horrenda supplicia sustinebit immotus.

Cum autem iterum reclinati discipuli quievissent, subito auditur tumultus accedentium hostium ad comprehendendum Jesum. Jesus ait tunc tribus discipulis : *sufficit* requies vestra. *Venit hora*, scil. ad ea sustinenda quae ab aeterno decreta sunt. Et continuo Christus nitidissime suam jamjam imminentem comprehensionem discipulis declarat : *Ecce Filius hominis tradetur in manus peccatorum*, eosque contra lapsus periculum praemuniens, firmo ait animo : *Surgite, orate ne intretis in tentationem, eamus;* et adventum Judae praesignans : *ecce appropinquavit qui me tradet*. Neque nunc Judam nominat Jesus, idque ex caritate; quanto autem cum horrore atque indignatione cum agnoscent omnes generationes deicidae cohortis ducem!

In fine colloquium, et *Pater noster*

TERTIUM EXERCITIUM

Christus comprehensus

MATT. 26, MARC. 14, LUC. 22, JOAN. 23

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. *Erit hic, quomodo Dominus,* ait S. P., *osculandum se permittit Judae, et comprehendi ut latronem (a satellitibus), quibus dixit : (Tanquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me : quotidie apud vos docebam in templo, et non me tenuistis). Et dicente eo : (Quem quaeritis?) ceciderunt inimici. S. Petrus vulneravit quemdam servum Pontificis. Cui mansuetus Dominus dixit : (Converte gladium tuum in locum suum), et sanavit vulnus servi. Tandem derelictus a discipulis suis pertrahitur ad Annam.* (Nota quomodo S. P. in tota passione ea semper eligat quae opprobrio Christo sunt, ut super omnia humilitatem inculcet et amorem opprobriorum propter Jesum).

Secundum praeambulum, compositio loci. Erit hic videre hortum, montis descensum, torrentem Cedron in valle, et viam ad domum Annae in Jerusalem.

Tertium praeambulum non mutatur.

Primum punctum. — *Sciebat autem et Judas, qui tradebat eum, locum : quia frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis suis.* Considera quam durum fuerit Cordi Jesu ab eo tradi, quem tantis affecerat beneficiis; sed multo magis quam probrosum praesertim ei fuerit ab uno ex duodecim dilectis suis Apostolis prodi, et quantum gaudium dederit Judas inimicis Jesu. Quasi uno ictu fama Jesu concidit. Quid jam sentiat populus de Jesu, qui ab eo quem habuit per tres annos vitae et doctrinae testem, traditur et comprehenditur ut impostor et malefactor?

Contemplare nunc, media nocte, horrendum spectaculum cohortis, scilicet multorum militum, quibus adduntur servi de infima et pessima plebe. Ascendunt cum inconditis clamoribus montem olivarum. Antecedebat autem eos, ut antesignanus, infamis et execrabilis proditor Judas : *Judas ergo, cum accepisset cohortem, et a Pontificibus et Pharisaeis et senioribus ministros, venit illuc cum laternis, facibus et armis. Et adhuc eo (Jesu ad discipulos) loquente, venit Judas Iscariotes, unus de duodecim.* Cum Jesum de visu illi non nossent, nec quisquam eum nisi familiaris medias inter tenebras a discipulis dignoscere potuisset, *dederat traditor signum eis, dicens : quemcumque osculatus fuero,*

ipse est, tenete eum. Et cum experientia didicisset Jesum facillime hostes posse evadere, addit : *et ducite caute.*

Dein praecedens turbam solus accedit : *Et confestim accedens ad Jesum, dixit : Ave, Rabbi, et osculatus est eum.* Ita Dominum Deum suum tractat proditor, eumque per signum amicitiae, pro triginta argenteis, tradit ad mortem. Potuisset, ac merito, illico eum Jesus in infernum detrudere. At non ita sentit is, qui non venit perdere, sed salvum facere quod perierat. Dum generationes omnes in aeternum Judae maledicent, Judam proditorem, Judam omnium hominum abominationem amare pergit Cor Jesu, nedum eum odio habeat, atque caput inclinans osculum suscipit et reddit, nec nisi amanter et benigne eum de scelere suo ad aurem admonet, ut eum convertat, et a deicidio atque a damnatione removeat. Non ex ulla irrisione aut exprobratione, sed ex sincero et amante corde salutationi Judae amicitiam rependet : *Amice, ad quid venisti,* et ostendens scire se pessimas ejus intentiones, addit vocans eum ex amore nomine suo : *Judd, osculo Filium hominis tradis?* Si Judas per diuturnam avaritiam ac per insignem gratiarum abusum atque hypocrisim non obdurasset cor suum, tanta benigni-

tate victus, cecidisset ad pedes Jesu : at cor ejus per longam perversitatem aeneum factum est. En quo tandem unica passio devenit, quae a parvis coepit initiis!

Non tamen a misericordi suo proposito recedit Jesus; immo et, quamdiu spes aliqua remanebit, quamvis absconditam suam in Passione divinitatem velit, et post haec fideliter abscondat, ad ipsa miracula recurret, ut suum proditorem discipulum moveat et salvet. Tale est Cor Jesu.

Jesus itaque, sciens omnia quae ventura erant super eum, et intrepide iis ex amore nostri occurrens, *processit* ad turbam, quam repetierat Judas, *et dixit eis : Quem quaeritis? Responderunt ei : Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus : Ego sum.* Et ecce illico magnum Jesus patrat miraculum, quo Judaeorum oculi, nisi diabolica eorum obstitisset malitia, profecto aperti fuissent. Quod autem Christus maxime ad conversionem Judae illud fecerit, patet ex auctore Evangelico, qui ante facti enuntiationem hoc praemittit : *Stabat autem et Judas, qui tradebat eum, cum ipsis.* Deinde pergit : *Ut ergo dixit eis : Ego sum, abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram.* Non in faciem, sed retrorsum omnes omnino cum Juda ceciderunt, et ita quidem, ut omnes quasi obriguerint, nec

nisi volente Jesu, surgere ullo modo potuerint.

Ad hoc S. Leo, serm. 1, ait : « *Ego sum :* quod » verbum illam manum, ita ex ferocissimis » congregatam, quasi quodam fulminis ictu » stravit atque perculit, ut omnes illi atroces, » minaces atque terribiles retro acti corrue- » rent. Ubi fuit saevitiae conspiratio? Ubi » instructus armorum? Dominus dicit *Ego* » *sum,* et ad vocem ejus turba prosternitur » impiorum. Quid jam poterit majestas ejus » judicatura, cujus id potuit humilitas judi- » canda? » Quot interea fulmineo hoc miraculo conversi sunt? Ne unus quidem. Adeo impius, cum in profundum venit, obcaecatur et ipsum fulmen contemnit. Hinc patet quo perversitatis et perfidiae gens judaica pervenerit, et quam non immerito maledictionem incurrerit. Quid non moverat Jesus, ut eam converteret? quid non movet ut errantium omnium corda resipiscant? *Et ut appropinquavit, videns civitatem flevit super illam, dicens : Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi; nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te : et circumdabunt te inimici tui vallo :.... et coangustabunt te undique : et ad terram prosternent te, et filios tuos, qui in te sunt; et non relinquent in te lapidem super lapi-*

dem : eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae. Sic non nisi per obstinatam in homine perditionis voluntatem coacta, divina exercetur Justitia.

Secundum punctum. — *Iterum ergo interrogavit eos : quem quaeritis? Illi autem,* persistentes, non obstante divinae potentiae miraculo, *dixerunt : Jesum Nazarenum.* Et en novum miraculum facit Jesus, prohibendo quominus in suos discipulos et in ipsum Petrum aggressorem, manus injiciant. *Respondit Jesus : Dixi vobis quia ego sum : si ergo me quaeritis, sinite hos abire. Ut impleretur sermo quem dixit* (in ultima cena) : *quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.*

Cum accedentes Judaei, atque in primis Malchus, ceteris, ut videtur, audacior, in eo essent ut irruerent in Jesum, discipuli ex primo impetu pugnam conserere voluerunt : *Videntes autem hi, qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei : Domine, si percutimus in gladio. Et ecce unus ex his,* Simon Petrus, non exspectato responso et pro more praeceps, *extendens manum, exemit gladium suum, et percussit Pontificis servum, et abscidit auriculam ejus dexteram. Erat autem servo nomen Malchus.* Et continuo reprehendit eum Jesus, quia suos pati vult injurias, non autem reddere, ne virtus

crucis evacuetur. Sicut abscondit Christus Divinitatem suam ut non destrueret inimicos, ita et apostolus Christi suam omnem vindicandi se vim et potestatem debet cohibere. Quamvis praeclaram animi fortitudinem coram tanta non inermi turba, et insignem in Jesum amorem facto suo Petrus significasset, reprehendit eum Jesus quadruplici quidem argumento; et qui benigne proditorem suum monuerat, severe familiarem suum carpit, ac miraculo condemnat. *Dixit ergo Jesus Petro : sinite usque huc. Converte gladium tuum in locum suum : omnes enim qui acceperint gladium gladio peribunt. An putas quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit modo plus quam duodecim legiones Angelorum? Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum? Quomodo ergo implebuntur Scripturae, quia sic oportet fieri?* Vide nunc quomodo ulciscatur se Cor Jesu : *Et cum tetigisset auriculam ejus, sanavit eum.* Intellexit Petrus et quievit; multo autem melius intelliget, accepto Spiritu Sancto.

Dein conversus ad turbam Jesus, eam ab impetu, quamdiu loquitur, cohibet. *Dixit autem Jesus ad eos qui venerant ad se, principes sacerdotum et magistratus templi et seniores : Tanquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me,* cum non malefactor sim, ut

scitis, sed doctor vester, viam caeli vos edocens. Etenim *quotidie apud vos sedebam docens in templo, et non me tenuistis,* quia nondum volebam; nunc autem, ut redimam vos, volo. Sed me, Deum et Salvatorem vestrum comprehendendo, satellites vos facitis potestatum tenebrarum. Igitur accipite me volentem jam : *sed haec est hora vestra* (mea autem veniet, simul et vestra, terribilis haec) *et potestas tenebrarum, ut impleantur Scripturae.* Haec ultima verba Sacerdotes, qui praedictam a Prophetis passionem Christi noverant, debuissent percellere; sed invidia et vitiis obcaecantur, nec ipsis modo patratis miraculis quidquam perduelles isti moventur.

Tertium punctum. — Jubentibus sacerdotum principibus, cohors irruit in Jesum : *Cohors ergo et tribunus et ministri Judaeorum accesserunt, et manus injecerunt in Jesum, et comprehendentes tenuerunt eum, et ligaverunt eum. Hoc autem totum factum est, ut adimplerentur Scripturae Prophetarum.* Omniscius enim Deus omnem malitiam Judae et Judaeorum, quam per Prophetas praedixerat, ad redemptionem humani generis converterat.

De sceleratissima illa comprehensione audi Corn. a Lap. (in Matt.) : « Quam atrox, in- » digna et acerba fuerit haec Christi compre-

» hensio, aestimari potest ex multis. *Primo.* » Quod captus sit tanquam latro, ipse qui erat » innocentissimus et summe in omnes bene- » ficus, immo Sanctus Sanctorum, adeoque, » qua Deus, ipsa immensa et increata puritas » et sanctitas. *Secundo.* Quod captus sit ab » hominibus vilissimis, pessimis, sibique ini- » micissimis, quales erant Scribae et Judaei. » Unde conjici potest quam atrociter instar » jumenti, immo latronis, ab iis fuerit ligatus, » protrusus, protractus, illusus, caesus, blas- » phematus. *Tertio,* quod Apostoli ceterique » omnes eum deseruerint, ut solus quasi agnus » innocens Judaeis se in praedam daret. *Quar- » to,* quod hisce suis vinculis ex aequo volue- » rit expiare et dissolvere vincula peccatorum » nostrorum, quae gravissima et durissima » sunt. Unde Jeremias eum miserans gemen- » do et suspirando ait : *Spiritus oris nostri » Christus Dominus, captus est in peccatis nostris, » cui diximus : in umbra tua vivemus in gentibus* » (THR. 4. 20). *Quinto,* quod hisce suis catenis » voluerit Christianos animare, eisque robur » impetrare, praesertim Martyribus, ut carce- » res et catenas animose sustinerent, in iisque » exultarent et gloriarentur, uti gloriatur Pau- » lus (EPHES. 3. 1). »

Contemplare hic Christum ligatum mani-

bus, collo, corpore, tractum, alapis et tunsionibus caesum, et haec omnia patienter, in silentio, sine ulla resistentia aut querela ferentem; tractari se sinit ac si jumentum esset, vel potius hebes, stolidus et scelere convictus. Opprobriis ejus culmen addunt discipuli, suae eum sorti quasi sine compassione committentes. Fuit quidem hoc durissimum vulnus Cordi Jesu, sed multo adhuc majus opprobrium. Quid enim jam homines de Magistro sentiant, quem, dum incidit in hostes, discipuli ejus deserunt, ut fugiunt? Quae omnia vivide expressit Evangelista : *Tunc discipuli ejus* OMNES (undecim), RELICTO EO, *fugerunt. Adolescens autem quidam* (Marcus juxta quosdam) *sequebatur eum amictus sindone super nudo : et tenuerunt eum : at ille rejecta sindone, nudus profugit ab eis.*

Sic Jesus viam, dictam *captivitatis,* quaeque erat 2360 passuum, inter ludibria, tractiones in varios sensus, alapas, verbera et blasphemias decurrit; septies in ea, juxta S. Birgittam, lapsus est, et semel in torrentem Cedron, unde inter irrisiones surrexit : *De torrente in via bibet.* Considera Jesum mitem et humilem; considera et feroces vultus atque actus inimicorum ejus. Disce ex his quid sit sequi Christum.

In fine colloquium et *Pater noster.*

Quartum Exercitium erit repetitio trium praecedentium.

Quintum Exercitium erit applicatio sensuum ad eadem Exercitia.

Tertia dies

PRIMUM EXERCITIUM

MATT. 26, MARC. 14, LUC. 22, JO. 23

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. Erit hic quomodo Christus ingreditur Jerusalem, trahitur ad domum Annae, coram hoc judice comparet, accusatur, alapam accipit, et negatur a S. Petro.

Secundum praeambulum, compositio loci. Erit hic videre plateas Jerusalem, atrium domus Annae, cubiculum tribunalis, et vestibulum in quo erat S. Petrus.

Tertium praeambulum non variatur.

Primum punctum. — Ingressus in Jerusalem : *At illi tenentes Jesum duxerunt... ad Annam primum, ubi convenerant omnes sacerdotes, et Scribae et Seniores.*

S. P. N. qui, ad serios Christi imitatores efformandos, super omnia humiliationes

et opprobria Jesu attendenda ubique fere proponit, ita dicit in 2ª contemplatione : *Cum comprehensus esset* (Jesus) *ut malefactor, pertrahunt illum per vallem deorsum, ac dein per declivum sursum, ad domum Annae.* Similiter de hoc agens in 3º puncto in fine lib. nil praeter tria opprobria, tacito interrogatorio, indicat : pertractionem, negationem Petri et alapam. Noverat enim totum in his Pauli verbis esse positum : *Humiliavit semetipsum,* nihilque se magni ab exercitante obtenturum, nisi eum ad normam undecimae Summarii regulae prius efformaret.

In hunc igitur sensum contemplare in ingressu Jerusalem personas : Jesum ligatum, tanquam malefactorem, et inimicos ejus per tractiones, verbera, blasphemias, consputusque ei insultantes; audi verba blasphemiae, et inconditos irae et invidiae triumphantis clamores; contemplare silentium Jesu omnes injurias suscipientis, ad modum hominis sceleris convicti et hebetis. Contemplare et incolas Jerusalem tumultu expergefactos, descendentes in plateas, ut discant quid agatur. Nihil mutabilius aura populari. Ubi vident Jesum more malefactorum ligatum, atque in ipsa nocte, adeo res urget, ad tribunal pertractum, mutant illico suam opinionem, et Jesum ut de-

ceptorem ac falsum Messiam habent, miracula ejus existimant praestigias; mirantur tamdiu potuisse se decipi; alii dubitant et haerent, idque eo magis quod ab ipso intimo discipulo sit traditus et a ceteris sui sequacibus omnibus derelictus. *Fratres meos longe fecisti a me, et noti mei quasi alieni recesserunt a me.* (Job. 19). *Circumdederunt me vituli multi, et tauri pingues obsederunt me; aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens et rugiens* (Ps. 21).

Ingredere cum Jesu et cum furente turba aream domus Annae, et donec janua domus aperiatur, ibi consiste, testis omnium abominationum, quibus caeli ac mundi Dominus et Creator obnoxius est. Ecce eum, quem trementes adorant Angeli, oleae, quae adhucdum visitur, turpiter alligant, ut ostentui coram omnibus habeatur, frenaque omnia odii et rabiei suae laxantes, ora sua distorquentes et blasphemantes ei insultant, pugnum ei intendunt, spuunt in eum, verberibus, alapis in eum ridendo saeviunt, et gestientes pudenda ei cognomina impingunt. Haec omnia sustinet, nec sustinet tantum, sed ut sibi ac divinae gloriae nostraeque saluti bona aestimat, atque silens et amans excipit Agnus Dei benignissimus; immo orat, pro feris in se irruentibus, atque superbiam nostram suis

expiat opprobriis. Si non ita se humiliasset, nec factus nec dictus esset Jesus, Salvator mundi. Sic neque tu alia via cooperaberis Christo in salutem animarum, nisi in quantum dicere de te poteris : *Ego sum vermis, et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis* (Ps. 21, 7), et cum Apostolis : *Puto enim quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit, tanquam morti destinatos : quia* (sicut Christus in aula Annae) *spectaculum facti sumus mundo, et Angelis et hominibus... Usque in hanc horam et esurimus et sitimus, et nudi sumus et colaphis caedimur, et instabiles sumus, et laboramus operantes manibus nostris : maledicimur, et benedicimus : persecutionem patimur, et sustinemus : blasphemamur, et obsecramus : tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc* (1 Cor. 9, 13). Sic Apostoli converterunt mundum ; sic *in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum.* Nisi et ego, ad exemplum Apostolorum, opprobria Christi generose amplexatus fuero, factitare aliqua potero eaque valde imperfecta ; magna autem, nequaquam. Si aliorum laboribus invidero, immo forte et obstitero, si propriae aestimationi et gloriae studuero, si propter obtrectantes linguas a bonis operibus recessero, sequar forte aliquo modo Christum, sed misere clau-

dicando, nec ero *de numero eorum per quos salus facta est in Israel.*

Secundum punctum. — Comparet Jesus coram Anna. *Et adducunt Jesum ad Annam primum* (ad honoris et odii ejus satisfactionem). *Erat enim socer Caiphae, qui erat pontifex anni illius.* Ubi inter se consilia miscuerunt, sedente infami judice, aperta est janua. Contemplare Jesum ligatum ut malefactorem, protrusum ad tribunal, et cum humilitate stantem coram judice. Contemplare et feroces sacerdotes, scribas et seniores, qui odio in Jesum ardebant, tum quia populus, ipsis derelictis, sequebatur Jesum, tum quia saepius Jesus eorum vitia et hypocrisim carpserat, ac contra eorum avaritiam ac tyrannidem populum defenderat. Ecce jam quasi de capta praeda scelerati illi sacerdotes laetantur. Respice in Jesum, Agnum Dei mansuetum ac, demissis humiliter oculis, crudelibus lupis undique circumdatum. Sic et Apostoli coram impiis tribunalibus stabunt.

Pontifex ergo interrogavit Jesum de discipulis suis, et de doctrina ejus. In quantum simplex reus, non tenebatur Jesus ei obtemperare, qui nulla amplius, utpote officio defunctus, pollebat auctoritate. Ad primum non respondet Jesus; ut scilicet dilectorum suorum discipu-

lorum famae, etiam ipsius Judae, non noceret. Quam commodissime enim judices opprimere potuisset, manifestando pactum illud abominabile quod cum proditore inierant. Maluit Jesus tacere, ut opprobriis saturaretur. Ad secundum autem ita respondet, ut machinas eorum illico frangat, ac eos confusione operit. Indignum praeterea erat Deo Salvatore ante porcos projicere margaritas, et doctrinam coram iis exponere, qui ansam eum perdendi unice intendebant, nedum instrui vellent. Tandem expositio illa penitus erat inutilis; ipsi enim doctrinam et sciebant, et suis auribus audierant. Igitur *respondit ei Jesus,* detegens eorum hypocrisim, et scelerata consilia manifestans : *Ego palam locutus sum mundo; ego semper docui in synagoga et in templo, quo omnes Judaei* (et ipsi per consequens vos sacerdotes) *conveniunt, et in occulto locutus sum nihil.* Et cum auctoritate divina non amplius potiatur Anna, addit : *Quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt quid locutus sim eis. Ecce hi sciunt quid dixerim ego.* Testes enim in tribunali interrogandi sunt : sic et Jesus suam innocentiam affirmabat, cum testes praedicationum suarum non timeret. Propriis suis retibus Anna erat irretitus. *Estote prudentes sicut serpentes.* Si enim testes interrogasset,

spem amisisset capiendi Jesum in verbis ejus, et potuisset fieri ut nihil nisi sanctum a testibus afferretur : immo et ea probabiliter dixissent, quibus Jesus malos illos sacerdotes corripuerat. Annas ergo confusione plenus nesciebat quid amplius diceret, ac constrictus erubescebat. Quod advertens unus ex ejusdem Annae ministris, dominum suum ut expediret, audacter irruit in Jesum : *Haec autem cum dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu dicens : sic respondes Pontifici?*

Obstupescite caeli super hoc, et portae ejus desolamini vehementer. Quanta in servo illo audacia et malignitas! Quanta in Jesu longanimitas et patientia! Percutitur Dominus a servo, Creator a creatura; Dominus universorum, coram quo tremunt caeli et infernorum potestates, ignominiosam alapam accipit a verme sordidissimo. O infelix, o maledicta manus quae divinam illam faciem percutere ausa es, quam Seraphim venerantur, et in quam desiderant Angeli prospicere. Quot homines ad duellum, propter acceptam alapam, percussorem provocant! Non ita ille qui dixit : *si quis te percusserit in dexteram maxillam, praebe illi et alteram* (Matt. 5, 39). Vaferrimum servum illum merito subita morte percussisset Jesus, sicut percussus est a Deo Osa; sed divinitatem suam

Christus ideo absconderat, ut opprobria quaecumque ad expiandam et tollendam nostram superbiam subiret. Vide nunc quo descendat Jesus, Dei Filius. Annae interrogationes abruperat, et ecce vilissimum ejus servum, eo ipso momento quo ab ipso turpiter percussus est, pacifice alloquitur, et sine ulla turbatione aut amaritudine cum eo ratiocinatur, quasi se apud eum justificans, quod est culmen humilitatis. *Respondit ei Jesus : si male locutus sum, testimonium perhibe de malo : sin autem bene, quid me caedis?* Et hoc quidem fecit Jesus, ut subtilius quoddam superbiae genus detegeret, quo quis ab alio offensus, indifferentiam affectat et dicit : offensas ejus et ipsummet simpliciter contemno et vilipendo.

Tertium punctum. — *Prima Petri negatio.* Dum haec coram Anna perpetrabantur, alia offensio, et illa quidem Petri, multo altius Cor Jesu vulnerabat. *Si inimicus homo,* qualis erat percussor servus, *maledixisset mihi, sustinuissem utique; tu vero homo unanimis,* tu, Petre dilecte mi, quem ut alterum me ad summa evexeram, tu qui dixeras : *Etiamsi oportuerit me commori tecum, non te negabo!* Voluit et hoc pati Christus, ut et ipsi nos, cum ab intimis nostris amicis, immo et a propinquis ipsis derelinquimur aut prodimur, patientiam ha-

beamus. Externorum, v. g. injurias aut persecutiones facile toleramus; multo autem durius est eadem a confratribus perpeti.

Fugerat Petrus cum ceteris discipulis, sed cum ex amore non ferret esse se sine Jesu, rediit et immixtus turbae, a longe secutus est Jesum. Sed et pro more suo, imprudenter egit, et misere lapsus est.

Petrus autem sequebatur eum a longe, et alius discipulus (Joannes) *usque in atrium Principis sacerdotum. Discipulus autem ille erat notus Pontifici, et introivit cum Jesu in atrium Pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exivit ergo discipulus alius, qui erat notus Pontifici, et dixit ostiariae, et introduxit Petrum usque intro in atrium summi sacerdotis.* Debuisset, non in atrio Petrus consistere, sed in tribunali cum Christo stare, eumque defendere. Ast non obaudierat Christo dicenti : *Vigilate et orate ut non intretis in tentationem.* Ideo divina ope destitutus deficit jam, atque a longe tantum sequens Christum, animo caret, ut fidem suam profiteatur. Praetera periculosissimae occasioni exponit sese : *Accenso autem igne in medio atrii, et circumsedentibus illis, sedebat Petrus ad ignem et calefaciebat se.* Sufficiet ancillula, ut Petrum adeo debilitatum prosternat. *Cum esset Petrus in atrio, et cum vidisset una ex ancillis*

summi sacerdotis calefacientem se, et eum fuisset intuita, dixit (circumsedentibus): *Et hic cum illo erat;* et continuo ad Petrum conversa : *Et tu cum Jesu Galilaeo eras.* Non respondet Petrus, sed ecce alia ancilla supervenit, et urget : *Dixit ergo alia ancilla,* nempe *ostiaria, quae introduxerat Petrum : Numquid et tu ex discipulis es hominis istius? At ille negavit coram omnibus, dicens : Non sum; non novi illum, neque scio, neque novi quid dicas.* Ne te Petro fortiorem existimes; laberis et tu, si lubricis spectaculis ac saltationibus interfueris, si impia aut lasciva legeris, si cum impudicis sermonem miscueris, si periculosa aspexeris. *Qui amat periculum, in illo peribit.*

In fine colloquium, et *Pater noster.*

SECUNDUM EXERCITIUM

Acta in domo Caïphae

MATT. 26, MARC. 14, LUC. 22, JOAN. 23

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. Erit hic quomodo transit Jesus ad tribunal Caïphae, accusatur a falsis testibus et condemnatur, quia Filium Dei se fecit; quomodo eodem

tempore Petrus iterum atque tertio negavit Christum Dominum.

Secundum praeambulum, compositio loci : erit hic videre viam quae ducebat a domo Annae ad domum Caïphae, vel (probabilius in eadem domo) ab habitatione Annae ad habitationem Caïphae; item atrium in quo erat Petrus cum ministris; tandem tenebrosum carcerem, in quo reliquam partem noctis ligatus transegit Jesus.

Tertium praeambulum non variatur.

Primum punctum. — *Et misit eum ligatum ad Caïpham pontificem.* Contemplare Jesum turpiter ligatum, ut malefactorem, et ministros eum cum saevitia et omni opprobriorum genere trahentes; sic Agnus innocentissimus idemque Filius Dei tractari voluit pro me et pro peccatis meis.

Principes autem sacerdotum, qui justitiae custodes et propugnatores esse debuerant, *et omne concilium, quaerebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent.* Mortem scil. ipsius decreverant; cum autem ejus innocentiam perspectam haberent, falsos quaerebant testes. Ita omni tempore et discipuli Jesu tractabuntur : *In hoc enim vocati estis,* ait Petrus 1 ep. 2., *quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vesti-*

gia ejus. Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus : qui cum malediceretur, non maledicebat : cum pateretur, non comminabatur : tradebat autem judicanti se injuste : qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiae vivamus : cujus livore sanati sumus.

Et non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent. Convenientia testimonia non erant. Sic mentitur semper iniquitas sibi.

Novissime autem venerunt duo falsi testes. Et dixerunt : Hic dixit : Possum destruere templum Dei, et post triduum reaedificare illud. Falsissimi erant illi testes; non dixerat Jesus : *possum destruere,* sed *solvite,* Judaei; neque dixerat : *templum Dei,* sed *templum hoc,* scilicet corpus suum, in quo divinitas corporaliter inerat et quod modo erant soluturi Judaei : illud autem vere reaedificavit Christus cum post triduum resurrexit a mortuis. Cum autem in destructione templi Dei esset impietas, surgit triumphans Caïphas et indignationem hypocrite fingit. *Et surgens princeps sacerdotum ait illi : Nihil respondes ad ea quae isti adversum te testificantur? Jesus autem tacebat, et nihil respondit.* Quid enim falsis et ut talibus notis et advocatis respondisset Jesus? Multo magis impios judices suae falsitatis conscios confundit. Et

re quidem vera, excandescens propterea Caïphas solam seriam quaestionem aggreditur, scilicet utrum Messias esset Jesus. Ibi erat nodus. *Rursum princeps sacerdotum interrogabat eum, et dixit ei : Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei? Tu es Christus, Filius Dei benedicti?* Per formam juramenti terrere vult Christum, et ex alia parte scelestus ille fingit pietatem erga Deum benedictum. Magna latet in ea interrogatione malitia et perversitas : quidquid enim respondeat Jesus, condemnabitur. Si terrore correptus respondet non esse se Christum, cum saepius se Messiam dixerit, ea lege condemnabitur quae eos qui falso se messias esse profitebantur, morte damnabat, et suo se testimonio mendacem probabit : mendacium autem in vero Dei Filio esse non potest. E contra si Filium Dei se confitetur, cum a priori Messiam eum esse Caïphas neget, iterum Christus eadem illa lege condemnabitur. Scit Jesus capitale fore responsum suum; attamen non silet, sed propter invocatum Dei nomen, condemnationi se objiciens, testimonium perhibet veritati. *Jesus autem dixit illi : Tu dixisti; ego sum.* Solemnis fuerat interrogatio, solemnior et sublimior est responsio. Si obcaecatus et obduratus non fuisset Caïphas, totus contre-

muisset; sed claudit oculos ut non videat. Jesum terrere voluerat Caïphas, et ecce Jesus injusto et impio sacerdotum principi ea minatur, unde multo terribilius iste contremiscat : *Veruntamen, dico vobis, amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus coeli.*

Tunc scelestus judex et hypocrita, *tunc princeps sacerdotum,* zelum Dei et indignationem fingens ut adstantes moveret, *scidit vestimenta sua dicens : Blasphemavit : quid adhuc egemus testibus?* Vos ipsi testes estis omnes : *Ecce nunc audistis blasphemiam; quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt : Reus est mortis.* Quod voluerat cum diabolica malitia Caïphas, id obtinuit, extortam a plebe condemnationem.

Secundum punctum. — *Secunda Petri negatio.* Quam facile in nova peccata ruit, qui a primo peccato non statim surgit, ac multo etiam magis qui manet in occasione peccati! *Qui amat periculum, in illo peribit.*

Et post pusillum erat Simon Petrus stans et calefaciens se; dixerunt ei : Numquid et tu ex discipulis ejus es? Timuit Petrus novum lapsum; quem ut vitaret, nam et amabat Jesum et de facta jam negatione erat turbatus et tristis, pedem ad januam direxit. Ad veram

autem conversionem, debebat et fidem profiteri, et suam primam negationem retractare. Non retractavit, ideoque iterum, urgente tentatione, labitur. Eo enim momento, quo ei aperiebatur janua, et audiebatur prima vice cantans foris gallus, ancilla ea probabiliter, quae prioris lapsus causa fuerat, *coepit dicere circumstantibus : quia hic ex illis est.* Resistit tentationi Petrus, et non respondet, sed nec animum habet profitendi fidem. Et ecce dum jamjam esset per januam transiturus, alia ancilla novam tentationi diabolicae vim addit. *Exeunte autem illo januam, videt eum alia ancilla, et ait his qui erant ibi : Et hic erat cum Jesu Nazareno. Illico alius videns eum dixit : Et tu de illis es.* Ita urget diabolus illos, qui, ut ait S. P. in reg. disc. 12, non *audacter se exponunt ejus tentationibus, nec faciunt oppositum e diametro.* Hi nimirum animum perdunt, et tunc *non est bestia adeo efferata super faciem terrae, ut est inimicus humanae naturae in prosecutione perversae suae intentionis.* Hoc expertus est Petrus, nam cum ita animo titubaret, iterum lapsus est, idque multo gravius, nam simpliciter neganti non dedissent fidem. Quapropter negationi hac vice addidit juramentum. *Petrus vero iterum negavit cum juramento, et dixit : O homo non sum, non novi hominem.*

Permisit Deus Petrum, futurum Ecclesiae suae fundamentum, vinci a mulierculis, ut ejus praesumptionem retunderet et simul omnes nos exemplo ejus doceret, quam humiliter de nobis sentire, ac nullo unquam modo nobis fidere debeamus. *Beatus homo qui semper est pavidus.*

Eo ipso tempore confecta est negatio Petri, quo apud Caïpham a falsis testibus accusabatur Jesus et tacbeat. Dum autem ita Jesus tacebat, quanta Majestati ejus injuria, quantum vulnus Cordi ejus inferebatur, non a falsis testibus et ab inimicis, sed a Petro amicissimo! Promiserat Petrus, et quidem tunc sincerissime, cum eo commoriturum se priusquam eum negaret; et ecce nunc illum tantopere pudet Jesu fuisse discipulum, ut coram inimicis ejus cum juramento affirmet se ne nosse quidem *hominem* istum.

Quam est vitandum malorum hominum consortium! Petrus, inter Apostolos mori pro Christo optabat; inter improbos cum juramento eum negat.

Quam curandum nobis est, ut nobis semper versetur ob oculos nostra imbecillitas. Neque inde securi simus, quod nostrae bonae voluntatis conscientiam habeamus. Instabilis enim nostra voluntas est, et quavis tentatione

mutatur, nisi a Deo servetur et confirmetur. Felix ille qui humilis semper est, et vigilat et orat, ac soli Deo confidit!

Tertium punctum. — *Tertia Petri negatio.* Post suam secundam negationem, occasione relicta, exierat Petrus. Anima ejus, ut fit in justis qui amicitiam Dei per peccatum amiserunt, tristis erat ac perturbata; cor ejus remorsibus discruciabatur, nec tamen surgere valebat; inde absoluta animi dejectio. Si orasset, adfuisset ei divinum auxilium atque eum suscepisset Deus. Ast, ut plerumque fit post peccatum, nec oravit, nec periculo valedixit : post horam, rursum atrium ingressus est. *Qui amat periculum,* cum praesertim in eo jam peccavit, *in illo peribit.* Cum ergo rediisset Petrus in atrium, *intervallo facto quasi horae unius, alius quidam affirmabat dicens : vere et hic cum illo erat, nam et Galilaeus est. Accesserunt rursus qui stabant* (proximi scilicet illum intuentes) *et dixerunt : vere et tu ex illis es : nam et Galilaeus es, et loquela tua manifestum te facit. Dicit ei unus ex servis Pontificis, cognatus ejus, cujus abscidit Petrus auriculam : Nonne ego te vidi in horto cum illo?* Jam ex omni parte concisa fuerat arbor; nunc vero repetitis ictibus, tandem cum ingenti fragore concidit. *Iterum ergo negavit, et coepit detestari,*

anathematizare, et jurare, quia nescio istum (ita nominat suum Jesum) *quem dicitis.*

Et continuo, adhuc illo loquente, gallus iterum cantavit. Audivit quidem cantum Petrus, sed de prophetia Jesu tunc non cogitavit. Cogitavit quidem postea, scilicet post conversionem suam, et quotidie ad mortem usque, cum mane galli cantum audivit, amare flevit. *Et egressus foras Petrus flevit amare.*

In fine colloquium et *Pater noster.*

TERTIUM EXERCITIUM

Acta reliqua in illa nocte

MATT. 26, MARC. 14, LUC. 22, JO. 23

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. Erit hic, quomodo Jesus pertractus fuit a tribunali Caïphae ad carcerem; transiens autem per atrium respexit Petrum, qui *egressus foras flevit amare; tota illa nocte mansit ligatus Jesus. Praeterea ii qui tenebant eum captivum, illudebant ei, et percutiebant eum, et velabant illi faciem, et dabant ei alapas, et interrogabant eum : (Prophetiza nobis, quis est qui te percussit?) et similia blasphemabant contra illum.* Haec verba sunt S. P. N. Adverte quomodo iis maxime, et

fuse quidem, insistit quae ad dedecus et ad opprobria pertinent.

Secundum praeambulum, compositio loci. Erit hic videre, in domo Caïphae, viam quae ducebat ad carcerem insignibus malefactoribus destinatum, et carcerem ipsum. Carcer ille in ecclesia ibidem aedificata adhuc visitur, et nomen habet : *Carcer Domini*.

Tertium praeambulum non variatur.

Primum punctum. — Conversio Petri. Nisi gratia eum praevenisset, suo in peccato mansisset Petrus, et cum Juda fuisset in aeternum damnatus. Certum enim et de fide est peccatorem ex seipso, nisi eum gratia praeveniat et adjuvet, non posse surgere a peccato et cum Deo reconciliari. Quantum illa conditio apta est ad deterrendum a committendo peccato mortali!

Judas et Petrus inciderant uterque in peccatum mortale; ast quantum inter unum et alterum intererat peccatum! Judas Jesum ad mortem tradidit pro triginta argenteis; Petrus negavit et contemnere visus est Jesum, ut propriae suae vitae parceret. Judas ex mera malitia, ex diu deliberato consilio et post diuturnam hypocrisim, gratiis maximis contemptis, Dominum vendidit; Petrus autem, postquam Christum tenerrime semper amaverat, eique

fuerat in omnibus tentationibus fidelissimus, non ex malitia, sed ex mera fragilitate in occasione periculosissima peccavit. Ad Christum comprehendendum cum manu forti venerat Judas; Petrus vero, etiam cum propriae vitae discrimine, Christum gladio defenderat. Judas tandem, vir duplici corde, omnibus, iisque tenerrimis, misericordiae significationibus frigide et crudeliter restiterat; Petrus autem ad solum Christi respectum conversus est. *Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde!* (Ps. 72, 1).

Condemnatus Jesus a scelerato Caïpha, missus est in carcerem, ut reliquam noctem ibi transigeret. Dum ergo per servos a sacerdotibus ad crudelitatem excitatos ad carcerem ignominiose pertrahitur, transit per atrium, ubi adhucdum cum ministris sedebat Petrus. Eo momento quo apparet Jesus, intuetur eum Petrus misere ligatum et pertractum. Sui sceleris conscius conspectum Domini sui pertimet, sed et crudeli illo spectaculo cor ejus movetur; non enim amorem dilecti, etsi fidem exterius negaverat, e corde suo expulerat, neque expellere potuisset. Et ecce dum aspicit Jesum, Jesus eum respicit, atque ita eum respicit, ut cor Petri illico dolore frangatur et amore colliquescat. Contemplabor eo mo-

mento cor Petri et cor Jesu, indeque discam quae sit humani cordis malitia ex una parte, ex altera vero quae sit bonitatis et misericordiae abyssus in Corde Jesu amantissimo. Ad respectum Jesu, *recordatus est Petrus verbi Jesu quod dixerat : Prius quam gallus cantet bis, ter me negabis. Et egressus foras Petrus coepit flere et flevit amare.* Comitare Petrum cum singultibus et gemitibus flentem, et cum eo ingredere speluncam, in qua dicitur noctem flendo transiisse. Audi quomodo singultus inter et gemitus, intercepta lacrymis voce, bonitatem Jesu recolat et propriam suam ingrati animi malitiam : utinam haberem et ego illum ex amore dolorem, quo illico peccata diluuntur! Peccavit semel Petrus, ego vero quoties et quantum? Bonitatem exhibuit Jesus Petro; non fuit erga me bonus Jesus?

Secundum punctum. — In hoc puncto haec solum ait S. P. : *Mansit Jesus tota illa nocte ligatus.* Ex quo iterum sole lucidius apparet eum in opprobriis multo magis quam in doloribus Jesu, mentem exercitantis velle defigi.

Contemplare Jesum manibus dorso alligatum et collo funibus constrictum, atque humilem et mitem vultum ejus considerans, pete a teipso quis ille sit, qui, perinde ac si esset malefactor et opprobrium humani generis,

tam ignominiose tractatur? Deus est et universorum Dominus; Salvator est, qui ex infinito erga suos tortores amore, caro factus est. Manus illae ligantur, quae mundum sustinent et in benefaciendo lassatae sunt! Filiolos pauperum manus illae complexae sunt; caecis visum, surdis auditum, paralyticis motum, possessis a daemone libertatem, mortuis vitam, esurientibus panem dederunt.

Ad quid ligari se, ut latronem et malefactorem, permisit Jesus? 1. Ut ab ea quae sola vera est servitute, diaboli scilicet et peccati, solveremur. 2. Ut sola vera libertate, quae filiorum Dei est, donaremur. Quo enim vinculis divinorum mandatorum Dei magis constringimur, quo magis nos ipsos ad melius Deo serviendum constringimus, eo etiam majore, nobiliore et feliciore libertate fruimur. Testis P. de la Colombière, qui postquam votis suae professionis septemdecim alia vota addiderat, non solum, catenis illis quasi totus colligatus, non coarctabatur, sed nunquam fuisse se liberum magis ac feliciorem affirmabat. Coercent quidem et cruciant vitiorum vincula ac diabolicae servitutis : vincula autem charitatis, quo arctius Christo crucifixo adstringunt, eo etiam dulciora sunt et amabiliora. *Mihi adhaerere Deo bonum est* (Ps. 72, 28). 3. Ut magnam il-

lam superbiam, spiritum videlicet independentiae, expiaret, de qua in meditatione de duobus Vexillis. 4. Ut robur, animum et solatium tot Martyribus praeberet ac mereretur, qui in vincula erant projiciendi.

Tertium punctum. — Pernoctat Christus in carcere. Juxta S. Hier., non omnia quae in illa nocte Jesu a ministris illata sunt, in Evangelio referuntur : aliae enim ignominiae Christo inflictae sunt, eaeque adeo execrabiles, ut in ultimo tantum judicio sint manifestandae. Quae autem ab Evangelistis dicuntur, fidem quasi superarent, nisi auctoritas ipsa divina interveniret, et aliunde potestati infernali habenas Deus laxasset.

Ingredere jam tetrum et horrendum illum carcerem, qui adhucdum ad laevum latus altaris ecclesiae illius subsistit, quae eo loco, ubi fuerat domus Caïphae, aedificata est. Per aliquot gradus eo descende; et ibidem, attendendo ad singula sex S. P. N. puncta, contemplare Christum ligatum et scamno malefactorum insidentem et affixum, et circa illum, veluti totidem daemones, procaces et rabidos sacerdotum ministros, baculis et fustibus armatos; eorum ferocitatem et proterviam intuere; intuere et silentis Jesu mansuetudinem et patientiam; audi verba injuriosa,

blasphemias, cachinnos monstrorum illorum; singulos eorum actus ab Evangelistis expositos oculo sequere; quo magis inauditis injuriis et omnis generis blasphemiis benignus tuus Jesus appetitur, eo magis tu genuflexus eum venerare, adora et totis viribus, ei compatiendo, dilige. Hic autem maxime admirare, quomodo eo tempore, quo a vilissimis et pessimis servis infinitae Christo per integras horas fiunt injuriae, Jesus suam Divinitatem penitus abscondat, ut possit supra omnem modum opprobriis saturari. Hinc disce quam sit optandum et in conspectu Dei gloriosum pro Christo nesciri et omni contumeliarum genere affici. Tandem dum talia contemplaris, revolve animo sextum punctum : *Considerare quomodo haec omnia patitur Christus pro meis peccatis etc. : et quid debeo ego facere et pati pro illo.*

Audi nunc Evangelistas : *Et viri qui tenebant illum illudebant ei caedentes. Et coeperunt quidam expuere in faciem ejus; et velaverunt faciem ejus, et colaphis eum caedebant, et interrogabant eum dicentes : Prophetiza nobis, Christe* (scil. talem te falso dicens), *quis est qui te percussit. Alii autem ministri, palmas in faciem ejus dederunt, alapis eum caedentes. Et alia multa blasphemantes dicebant in eum.* Praedixerat et aliud Isaïas, crudelem nimirum barbae Christi Domini

evulsionem, dicens : *Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus : faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me.* Zach. autem dixerat : *Faciem tuam velabis, quia portentum dedi te domus Israel.* Ita Christum tractavere non solum ministri, sed et adstantes, quin et aliqui de concilio, ut insinuat Marcus.

Christus igitur tota illa reliqua nocte omni genere opprobriorum et dolorum affectus est et afflictus. Primo alapis et colaphis in faciem turpiter caesus est; corpus autem ejus pugnis percussum est. Secundo, foeda et putida in faciem ejus angelicam sputa et phlegmata exscreata sunt, ita ut vultus ejus totus inde sordesceret; nec avertit Jesus *faciem suam a conspuentibus in se.* Tertio, conviciis tum aliis afflictus est, tum illo quo, velata facie, illuserunt ei, quasi personato hariolo et ludioni dicentes : *Prophetiza quis est qui te percussit?* Quarto, ei genas pugnis et sputis deturparunt, et non sine acutissimo dolore, barbam expilarunt.

Ego sum vermis, et non homo; opprobrium hominum et abjectio plebis (Ps. 21, 7). — *Non est species ei, neque decor; et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum : despectum et novissimum virorum... et quasi absconditus vultus ejus, unde nec reputavimus eum* (Is. 53, 2 sq.).

Intelligis cur S. Ignatius undecimam regulam, ut Instituti sui summarium et fundamentum condiderit? Vides ut Sapientia Ducis nostri Jesu stulta quodammodo ex amore nostri facta sit?

In fine colloquium, et *Pater noster*.

Quartum exercitium, repetitio trium hujus diei exercitiorum.

Quintum exercitium, applicatio sensuum ad eadem, praesertim ad tertium.

Quarta dies

PRIMUM EXERCITIUM

Jesus a Judaeis condemnatus ducitur ad Pilatum

MATT. 27, MARC. 15, LUC. 23

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. Erit hic, quomodo apud Sanedrin mane condemnatus est Jesus; quo comperto, Judas desperavit et argentum retulit; cumque illud non reciperetur, laqueo se suspendit; a Concilio autem pertractus est Jesus ad Pilatum.

Secundum praeambulum, compositio loci. Erit hic videre plateas, quae a domo Caïphae ducunt ad Pilatum, et domum ipsam Pilati.

Tertium praeambulum non variatur.

Primum punctum. — Damnatus quidem Jesus fuerat de nocte a principibus sacerdotum et a plebe; sed manca condemnatio illa erat, nec ad urgendam mortem apud Pilatum valebat, utpote quae publica auctoritate magni concilii, seu Sanedrin, carebat. Publicum autem hoc concilium septuaginta viris, seu senatoribus constabat : horum tantum, utpote gravissimum, non plebis judicium exquirebatur. Qui vero ex septuaginta illis pro Christo stabant, vel non invitati sunt, vel eorum, ut Josephi et Nicodemi, vox oppressa est.

Mane autem facto, ut factus est dies, confestim concilium inierunt omnes principes sacerdotum, et seniores populi, et scribae, et universum concilium adversus Jesum, ut eum morti traderent.

Mane : magna, immo maxima omnium dies illa illucescit, in qua universum genus humanum ab aeterna perditione vindicabitur; magna illa dies, in qua ipsemet vitae auctor nos a morte transferet ad vitam sempiternam! *Confestim concilium inierunt :* festinant pro eo quo in Christum ardent odio; Jesu pariter optata quidem ex amore illa dies, sed horrenda et terribilis. *Universum concilium* convocant, ut suprema ejus auctoritate et solemnitate moveatur Pilatus; neque convocant, ut examine-

tur et judicetur Jesus, quod proprium est judicum officium, sed, et haec suprema injustitia et abominatio est, convocant *contra Jesum, ut eum morti tradant.*

Non sunt hic testes, quales ad decipiendam turbam, de nocte adhibiti : testes enim hi nullius essent ponderis. Quaestio unica, eaque sola coram tali tribunali seria, proponitur : An sit Jesus Messias Patribus promissus, et, per consequens, Filius Dei. Cum autem Principibus et sacerdotibus esset a priori statutum eum ut talem non agnoscere, non poterant inire concilium nisi *contra Jesum,* qui se dicebat Filium Dei. Agebatur ergo hic de laesa Majestate divina. Jam vero criminis illius reo mors, juxta ipsam legem Judaeorum, debebatur. Unde cum judices Jesum pro falso Messia habere decrevissent, satis ipsis ad condemnationem erat, si publicam ac solemnem coram Sanedrin suae divinitatis affirmationem ab ipsomet obtinerent. Quod quidem erat facillimum; nam id jam media nocte fecerat Jesus nec de illa re interrogatus silere poterat. Ad rem ergo statim properant impii judices, eoque confidentius, quod legem tueri videantur.

Contemplare Jesum e carcere extractum, ultra modum fatigatum et debilitatum, sputis

et tunsionibus deformatum : *vidimus eum, et non erat aspectus,* neque species ei, neque decor. Conspecto eo, infames gaudent judices, eumque malignis oculis intuentes, impie inter se ei insultant : Ubi nunc illa audacia est, qua in coarguendo nos uti solebas? Ubi nunc prodigiosa illa tua opera? Ubi fucus ille, quo simplicem turbam decipiebas? Tandem dignam factis tuis aliquando poenam persolves, et quid in te possimus senties. Ad haec benignissimus Agnus Dei silet, et quasi impotens atque convictus convicia illa omnia, et ex amore et ut opprobriorum desiderium nobis insinuet, velut hebes patienter dissimulat.

Ubi Jesus intravit, quasi ex abrupto capitalis illi interrogatio proponitur, ut cito judicium absolvatur et properari sine mora possit ad Pilatum. *Et duxerunt illum in concilium suum, dicentes* cum superbia et contemptu : *Si tu es Christus, dic nobis.* Ipsamet abrupta et inverecunda interrogatio satis declarabat eos non veritatem, sed condemnationem intendere. Malitiae eorum conscius Jesus, cum tacere de hac re non possit, ita respondet ut eorum malignitatem nosse se aperiat; nec eos confundit tantum, sed et exterret atque ultimum judicium, in quo ipsi condemnabuntur, praedicit. *Et ait illis : si vobis dixero, non*

credetis mihi, quia mihi non credere, ac me ut falsum Messiam morte damnare vobis statutum et fixum est; neque veritatem, quam odistis, quaeritis, sed meam confessionem, qua egetis ut me cum specie justitiae condemnetis. *Si autem et* ego vos *interrogavero* cur me persequamini et ad mortem me damnare velitis, *non respondebitis,* quia fateri deberetis vos nullam aliam habere mortis meae causam, praeterquam invidiam qua in me flagratis : reprehendi enim vitia vestra et populum a tyrannide vestra defendi; ergo me *neque dimittetis.* Jam vero Messias sum et videbitis me judicem vestrum in nubibus descendentem. *Ex hoc autem erit Filius hominis sedens a dextris virtutis Dei.*

Nonnihil inde intricati judices, ut se expedirent, statim quasi uno impetu ad quaestionem suam, sermonem Jesu abrumpentes, rediere. *Dixerunt autem omnes : Tu ergo es Filius Dei? Qui ait : Vos dicitis, quia ego sum.* Ad hoc responsum, ex quo liquebat Jesum non coacte, sed voluntarie mortem accipere, debuissent, nisi obcaecati et obdurati fuissent, dubitare saltem de ejus Deitate, et contremiscere, ne fulmini divinae ultionis se objicerent. *At illi* e contra *dixerunt : Quid adhuc desideramus testimonium? Ipsi enim audivimus*

de ore ejus. Festinant, quia eo ipso die et judicari et crucifigi eum volebant a Pilato. Utque coram gentili judice Jesus ut insignis et manifestus malefactor appareat, ejusque causa videatur evidentissima, vinciunt eum : *Et surgens omnis multitudo eorum, vincientes Jesum, adduxerunt eum a Caïpha in praetorium.* Ignominiam perpende.

Quot Martyres ita judicabuntur! *Ibant Apostoli gaudentes a concilio, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* An et tu gaudes, quando immerita ex parte externorum, et maxime ex parte fratrum tuorum, infertur tibi contumelia? quando in malam partem, sive ex occulta invidia, sive ex alio pravo affectu, gesta tua rite facta maligne interpretantur? An tunc, sive ex dejectione animi, sive ex indignatione, non relinquis opera quae ad Dei gloriam et bonum animarum cederent? Contumeliae illae quid sunt nisi guttulae illius calicis, quem pro te ad faecem usque ebibit Dominus? *Potes bibere calicem? Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Calix ille est ineluctabilis : si laboras, oblocutionibus eris obnoxius; si desidiae vacas, piger et inutilis censeberis et carperis. Solum Deum intende, procedens in opere tuo cum patientia.

Secundum punctum. — Finis Judae. *Melius esset, si natus non fuisset homo ille.* Ex concilio de nocte habito, utpote nec completo nec solemni, causa Jesu nondum erat perdita. Adhucdum igitur de obtenta per traditionem pecunia laetabatur Judas. Sperabat enim Jesum, uti saepius fecerat, e manibus inimicorum suorum evasurum, vel illos non ausuros eum, propter metum populi, morte afficere; ast, ubi supremo Judaeorum tribunali Dominum suum morte condemnatum vidit, spem illam penitus amisit : hinc horrenda desperatio. Diabolus, ut semper solet, cum ad scelus committendum pellicit, lucrandae pecuniae gaudio Judam incantaverat, dissimulata facinoris immanitate; ubi vero rem ad plenum effectum perduxit, ubi damnatus Jesus omnia in se fieri jam consentit, pugnandi artem immutat, ut miserum illum discipulum ad nova peccata inducat et ad absolutam perditionem. Incantationem omnem tollit, et sceleris enormitatem Judae aperit et exaggerat, non ut de scelere reus doleat, sed ut, omni veniae obtinendae spe sublata, in desperationis abyssum praeceps agatur. *Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, poenitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum et senioribus, dicens : Peccavi, tradens sanguinem justum.*

Certe eum poenituit tradidisse Jesum, at non propter offensum Jesum, sed propter eam quam ipse incurrerat infamiam et propter fulgura divinae Justitiae. Si in plateis Jerusalem occurrisset Jesu, eique confidens dixisset : « Peccavi, Jesu, miserere mei », vices ei, sicut Petro, reddens, eum respexisset Jesus, ac multo tenerius quam in monte Olivarum esset eum amplexus. Verum sicut ante peccatum velat diabolus divinam justitiam, veniamque promittit, ita post peccatum divinam abscondit misericordiam.

Fuit Judae poenitentia vera et sincera; ingens fuit et efficax, nam triginta retulit argenteos; at nec supernaturalis fuit, nec ad veniam et salutem proficua, quia nec propter offensum Deum doluit, nec divinae se commisit clementiae.

Retulit triginta argenteos, ut contractum, de quo dolebat, rescinderet; qua rescissione sublata, spes omnis servandi Jesum peribat. Vide nunc quid peccatori a daemone et ab asseclis ejus, postquam eis peccando serviit, expectandum sit. Contemplare et Judam mediis in furoribus desperationis ac tristitiae ad principes sacerdotum accedentem, et scelestos principes de captura sua laetantes, sicut Judas paulo ante de obtenta pecunia laetabatur.

Judae, quod ita stupidus fuerit, irrident, et poenitentiae ejus illudentes, crudeliter ac immoti respondent : *Quid ad nos? Tu videris.* Neque restitutam pecuniam, contractum ne rescindant, accipiunt. Sic Judas cum suis argenteis recedere jubetur.

Ad templum exinde proditor festinat, ut pecuniam, haec namque unica ei spes supererat, sacerdotibus committat eorum principibus communicandam : at ecce et sacerdotes argenteos denegant. Actus in rabiem desperationis Judas pecuniam in templo projicit et ad voluntariam mortem properat. *Et projectis argenteis in templo, recessit, et abiens laqueo se suspendit.* Cum autem mortuus esset damnatus ille, *crepuit medius, et diffusa sunt viscera ejus.* Quid profuit illi pecunia? Quid prodest peccatori quodcumque peccatum? Transit mundus et concupiscentia ejus. Quis dum contemplatur ita mortuum et damnatum Judam, postquam cum Christo per tres annos conversatus est, non sibi timeat, et nascentes in se concupiscentias a primo principio non statim reprimat atque enecet? Si quis autem, pro fragilitate humana, quoquo modo peccaverit, ne fiduciam unquam amittat, et, si opus fuerit, in spem contra spem ad divinam confugiat misericordiam, quam infinitam nobis Chris-

tus promeruit. *Filioli mei, haec scribo vobis, ut non peccetis. Sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris : non pro nostris autem tantum, sed et pro totius mundi* (I Jo. I sq.).

Principes autem acceptis argenteis dixerunt : non licet nobis eos mittere in corbonam : quia pretium sanguinis est (sic hypocritae illi de parva legis observantia se exhibent sollicitos, de effuso autem justo et innocente sanguine non habent scrupulum). *Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum. Propter hoc vocatus est ager ille : Haceldama, hoc est, ager sanguinis usque in hodiernam diem. Tunc impletum est quòd dictum est per Jeremiam prophetam, dicentem : Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiaverunt a filiis Israel : et dederunt in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.*

Tertium punctum. — Iter ad Pilatum. *Vincientes Jesum adduxerunt eum a Caïpha in praetorium, et tradiderunt Pontio Pilato. Erat autem mane.*

Quadruplici de causa Pilato sacerdotes Jesum tradidere : 1. Quia, translato jam sceptro de Juda, potestas occidendi quemquam a Judaeis per romanum imperium ablata fue-

rat. 2. Consedente etiam Pilato, nolebant ipsimet Christum occidere, ut nimirum infamiam occisi Christi, quem ex invidia peremissent, a se amolirentur : Pilatus enim, gentilis, quod non erat ex invidia Jesum occisurus. 3. Ut Christi honor et gloria obtereretur ac deleretur, appareretque omnibus eum esse pseudomessiam. Quaerunt igitur ut eum Pilatus tanquam latronem et rebellem adversum Caesarem ad infamem mortem condemnet, atque inter latrones crucifigat. Poena pseudomessiae lapidatio erat, non crux. 4. Quia dies erat solemnissimus Paschae, quo die festo manibus sanguine tinctis sacrificiis vacare sacerdotes non potuissent. Adde quod tali die, in quo ex omni gente multi conveniebant Jerusalem, multo major Christo futura esset ignominia.

Egredere jam cum Jesu e domo Caïphae, eumque, applicando sex puncta S. P. N., sequere per plateas usque ad praetorium, et ineffabilem Christi ignominiam contemplare. Aspice in impia turba Jesum vinctum ut latronem, et, abscondita divinitate, omnia opprobria, sputa, alapas, colaphos, irrisiones, blasphemias, pertractiones, cum eadem patientia suscipientem, ac si sceleris convictus esset ac stolidus. Aspice et circum mansuetissimum

Agnum Dei, lupos illos ira et odio furentes; aspice principes sacerdotum ovantes; immensam aspice turbam illudentem Jesu, et contra eum blasphemantem; aspice et quosdam turbae immixtos fideles Christi amicos, dolentes et flentes quod eum eripere non possint; aspice et Matrem Jesu dolorosam, quae ex hoc non deseret dilectum unigenitum usque ad ejus sepulturam. — Intelligis nunc mysterium crucis et opprobriorum?

En nunc quo caecitatis vel potius malitiae principes sacerdotum, scribae, seniores populi et totum concilium Sanedrin venerunt. Nam illi omnes surgentes a concilio comitabantur Jesum, ut toto suae auctoritatis ac dignitatis pondere Pilatum opprimerent. Ut non contaminentur, locum in quo causae sanguinis tractantur, ingredi recusant, ita ut cogatur exire foras Pilatus. Locum in quo gentilis praeses mortis damnationes profert, ingredi nolunt; sanguinem autem hominis innocentis fundere nil esse existimant, neque se censent exinde ullam contaminationem contrahere. Eo nimirum impii illi et crudeles exactores devenerant, ut abjectis virtutibus et amore Dei, totam religionem in externis tantum purificationibus et ritibus ponerent. Hanc hypocrisim et internam cordis corruptionem

Pharisaeis non semel exprobraverat Jesus; atque exinde eorum invidia. *Vae vobis Scribae et Pharisaei hypocritae, quia mundatis quod deforis est calicis et paropsidis : intus autem pleni estis rapina et immunditia. Pharisaee cacce, munda prius quod intus est calicis et paropsidis, ut fiat quod deforis est mundum. Vae vobis, Scribae et Pharisaei hypocritae, quia similes estis sepulcris dealbatis, quae a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitia.* Ita et omnes qui, vera religione derelicta, sectas haereticas sequuntur. Omissis iis mandatis quae naturae corruptae maxime adversantur, ut sunt sextum Dei praeceptum et obligatio confitendi peccata, eo magis quibusdam aliis insistunt, quo sunt faciliora; sic et sibi et aliis fucum faciunt : *Et ipsi non introierunt in praetorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.*

In fine colloquium et *Pater noster.*

SECUNDUM EXERCITIUM

Acta primo apud Pilatum

MATT. 27, MARC. 15, LUC. 22, JO. 18

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. Erit hic quomodo omnis multitudo Judaeorum Jesum coram Pilato accusant dicentes : *(Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem dare tributa Caesari);* postquam autem Pilatus eum semel et iterum examinavit, populo ait : *(Ego nullam in eo invenio causam.)*

Secundum praeambulum, compositio loci. Videre aream sitam ante domum Pilati, et ipsam ejus domum, ad quam per multos gradus ascendebatur.

Tertium praeambulum non variatur.

Primum punctum. — Accusatur Jesus apud Pilatum. Juxta sex puncta contemplare, quasi ibi adesses, ex una parte frementem et tumultuantem principum sacerdotum, seniorum et plebeiorum multitudinem coram domo Pilati stantem, et in ea Agnum Dei mansuetum et vinculis constrictum velut inter luporum agmen ; ex altera vero prostantem in summitate graduum Pilatum. Hunc norant Judaei super-

bum ac sui praesidis officii tenacem, natura quidem sua non injustum, sed infirma voluntate, et labili firmitate, si proprium sibi periculum instet. Qua igitur parte arx debilior est, ea ingredi cum infernali malitia Judaei repetitis et crescentibus ictibus moliuntur. Ideo cum magno apparatu et cum ingenti adversus Jesum indignatione objiciunt se judici. Pilatus autem qui Judaeorum odia adversus Jesum non induerat, juxta aequitatis et rationis leges, accusatores interrogat : *Exivit ergo ad eos foras et dixit : Quam accusationem affertis adversus hominem hunc?* Si reus vere fuisset culpabilis, eum cum gravitate et aequo animo accusatores judici denuntiassent, atque sic efficacius finem intentum essent assecuti; at ita procedere nec possunt, quia furore et odio incenduntur, nec volunt, quia mobilem judicem necesse habent urgere ac terrere. Hinc, eo quod Pilatus eorum de Jesu judicium infirmare videatur, irati superbe respondent, ut rem statim dirimant : *si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Sic impii, sic perfidi Judaei appellant Jesum. Quid autem mali fecerat ille de quo iidem Judaei dixerant admirantes : *Bene omnia fecit : et surdos fecit audire, et mutos loqui* (Marc. 7, 37)? Recole hic omnia quibus Judaeis tam amanter benefece-

rat, et consolare cor Jesu de tanta hominum ingratitudine.

Ast reipsa malefactor fuit Jesus, quatenus hominum omnium et mea omnia malefacta in se quasi sua assumpserat, ut ea propria sua ignominia et proprio sanguine expiaret ac deleret. Quanto pro me vilior factus, tanto mihi carior.

Innocenti durissimum est falso accusari et ad mortem requiri; at quanto durius ab illis ita tractari quos omni amoris genere sis prosecutus! Si impugnaris ab iis ipsis, quod saepe accidit, quibus nil contulisti praeter beneficia, Jesum imitare, qui nec ab accusationibus se defendit, nec orare ac pati pro suis ingratis persecutoribus intermisit. Patienter a persecutoribus pati Deo gloriosum est, et homini valde meritorium; ast ab ingratis, quos multis affeceris beneficiis pati, nec ulcisci, sed iis nova bona conferre, haec est corona, hic est apex divinae charitatis. Si adversus ingratos irasceris, et mala ipsis exoptas, examina teipsum, et invenies non egisse te, dum benefaceres, ex pura et mera erga Deum charitate.

Arrogantia Judaeorum jure ac merito offensus Pilatus, sed offensionem politice dissimulans, et ex ipsa illa arrogantia sentiens non

justitia, sed odio Judaeos moveri, salebrosam amovere a se causam tentat, atque eam in ipsos Judaeos derivare. *Dixit ergo eis Pilatus : Accipite eum vos, et secundum legem vestram judicate eum.* Cum simili arte respondent Judaei : *Nobis non licet interficere quemquam.* Et hoc quidem verum; nam omne jus interficiendi subacto israelitico populo Romani interdixerant. At de interdictione illa principes sacerdotum gaudebant, ut cum majori infamia periret Jesus a gentili potestate damnatus et cruci affixus. Sic implebatur verbum Jesu, quo praedixerat et traditum iri se gentibus et in cruce moriturum. *Ut sermo Jesu impleretur, quem dixit, significans qua morte esset moriturus.*

Causam instrui volebat Pilatus. *Coeperunt autem illum accusare, dicentes : Hunc invenimus subvertentem gentem nostram et prohibentem tributum dare Caesari, et dicentem se Christum Regem esse.* Triplex haec erat calumnia : subvertebat nihil praeter cara principibus Sacerdotum vitia, et regnum diaboli; nec tributum Caesari negaverat qui interrogatus dixerat : *Redde quae sunt Caesaris Caesari* (Matt. 22, 21). Istis ne respondet quidem sanus Pilatus; ad tertium solum attendit, quod cum primo nexum aliquem habere poterat et Caesaris potestatem offendere. Jesus enim, utpote filius

David, jus ad regnum haereditarium habebat. Sciebant autem sacerdotes Jesum in montem fugisse, cum eum regem denunciare Judaei vellent, nedum regnum temporale affectaret.

Ne mireris calumniis esse te obnoxium. Non est discipulus supra magistrum, nec servus supra Dominum; immo si propter benefacta calumniam pateris, gaude, quia *dignus factus es pro nomine Jesu contumeliam pati.*

Secundum punctum. — Examini consentit Pilatus, sed ut aequus ac prudens judex, ex reo ipso discere vult, idque non in medio tumultu vociferantium Judaeorum : *Introivit ergo iterum in praetorium Pilatus, et vocavit Jesum.* Obedit simpliciter gentili praesidi ille qui *factus* est *obediens usque ad mortem.* Contemplare sedentem praesidem, et humilem Jesum, qui futurus est vivorum omnium et mortuorum judex, stantem ligatum coram temporali judice.

Jesus autem stetit ante praesidem, et praeses interrogavit eum dicens : Tu es rex Judaeorum? Respondit Jesus : A temetipso hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me? Voluit quidem Jesus Pilatum pungere, quod calumniis inimicorum suorum crederet; non enim potuisset rem falsissimam et notae veritati contrariam aliunde

audire; et re quidem vera sciebat Jesus a Pontificibus istam calumniam Pilato fuisse delatam. Telum sensit Pilatus, qui, utpote praeses Caesaris, Caesaris potestati tuendae intendebat, et nihil aliunde quam ab inimicis Jesu audierat. Hinc ab irato, *respondit ei Pilatus : Numquid ego Judaeus sum?* (ut prosapiam et cetera tua norim et curem?) Quod voluerat Jesus, id obtinuit : Pilatus nempe confitetur a Pontificibus tantum audivisse. *Gens tua et Pontifices tradiderunt te mihi : quid fecisti?* Ad ultimam hanc quaestionem respondere non vult Jesus : « nihil mali feci. » Primae tamen quaestioni indirecte respondet : in ea enim rem totam Pilatus reponebat. Non negavit Jesus esse se regem : nam rex erat 1. Regnabat ut Deus super omnia regna et super omnem creaturam. 2. Regnabat ut homo in Ecclesia quam fundaverat. Hoc regnum est Messiae, quod Christo dandum praedixerant David et Prophetae, et hoc Christus Petro communicavit. Secundum autem regnum, quod vocatur a S. Thoma physicum, nemini, ne Petro quidem, communicavit. Quod hoc ultimum regnum habuerit Jesus, patet ex ipsius verbis : *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra* (Matt. 28). In Apoc. autem (19, 16) dicitur habere in femore, id est in sua humanitate,

scriptum : *Rex regum, et Dominus dominantium,* et vocatur (1, 5) *princeps regum terrae.* Hoc enim ipsi propter unionem hypostaticam debebatur.

Affirmat igitur esse se Regem, at non eo modo quo intelligit Pilatus, quasi aliquid inde timere debeat Caesaris imperium. *Respondit Jesus : Regnum meum non est de hoc mundo : si esset ex hoc mundo regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Judaeis; nunc autem regnum meum non est hinc.* Sublimia illa sunt, et auribus Pilati atque gentium inaudita. Regnum Jesu, in hoc etiam mundo, non de hoc mundo est : ergo de caelo. Ideo, inquit, si de hoc mundo esset, ministri mei, scilicet Angeli, pro me contra inimicos meos decertarent. Verum non est quod decertent, quia quod de caelo est vincere homines non possunt; immo Judaei, dum me persequuntur, regni mei gloriam parant. *Postquam exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Ne timeas, Pilate; *non eripit mortalia qui regna dat caelestia* (Hymn. Epiph.). Non invidet hominibus hujus mundi, partes, qui terram et quaecumque sunt verbo creavit. Regnum meum regnum omnium est saeculorum; regnum meum non in corpora exercetur, sed in animas quae ad similitudinem Dei factae sunt. Neque alia causa regno

potior, nisi ut homines a peccato solutos aeternae gloriae ac felicitati addicam ac regni mei participes efficiam.

Sic Christus per insignem misericordiam oculos Pilati tentat aperire veritati : isque incipit tam sublimibus Christi verbis ac tanta ejus animi pace moveri. *Dixit itaque Pilatus : ergo rex es tu?* Exposita regni sui natura, potest jam Jesus aperte respondere. Respondit ergo esse se Regem, atque in mundum venisse ut regnet, non quasi rex temporalis, sed ut mundo revelet veritatem, in qua vera vita gratiae et gloriae consistit : *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Jesum Christum* (Serm. Cen.). *At ille respondens ait illi : Tu dixisti, quia Rex sum ego. Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati;* alliciensque Pilatum, addit : *Omnis qui est ex veritate,* scil. qui amat et cupit audire veritatem, *audit vocem meam.* Eo benigne adduxit Jesus Pilatum, ut hic, si velit, audiat et pro salute sua accipiat Christi doctrinam. Et revera motum primoprimum sequens, praeses rogat quae illa veritas et doctrina sit : *Dicit ei Pilatus : Quid est veritas?* Quantum valet beata aeternitas, tantum momentum illud gratiae Pilato valuit. Si responsum Christi

docilis exspectasset, salutiferam Magistri doctrinam edoctus, divinaque gratia illuminatus, salutem fuisset consecutus. At resiliens, praevenienti gratiae abrupte restitit, quippe qui non erat ex veritate : ex iis enim erat qui praesentia aeternis, et terrena caelestibus anteponunt.

Tertium punctum. — Non exspectato igitur responso, illudque ut vitaret, relicto Jesu, properat ad Judaeos. *Et cum hoc dixisset, exivit iterum ad Judaeos, et dicit ad principes sacerdotum et turbas : Nihil invenio causae in hoc homine.* Videntes Principes sacerdotum rem suam periclitari gnarique nihil se ratione, sed solum territando profecturos, clamores clamoribus et accusationibus accusationes cum crescente tumultu addunt. Cum praesens esset turba, nihil respondit Jesus; ex quo apparet eum coram Pilato esse locutum, non ut sibi, sed ut Pilato consuleret. *Et cum accusaretur in multis a principibus sacerdotum et senioribus, nihil respondit. Pilatus autem rursum interrogavit eum, dicens : Non respondes quidquam? Non audis quanta adversum te dicunt testimonia?* Jam vero nec Pilato, qui innocentiae Jesu et injusti accusatorum odii conscius erat, nec perfidis sacerdotum principibus, responsum profuisset. Ideo tacet Jesus, qui pro salute nostra con-

demnationem subire et mori decrevit. Praeterea, cum Pilatus oblatam gratiam abjecerit, responsione se fecit indignum. Lux quae ei fuerat exorta, ab eo jam recedit. *Jesus autem amplius nihil respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur praeses vehementer.* Postquam sic tam alta, tam divina, tam insolita a Jesu Pilatus audierat, supra humanum quid de eo sentiebat; crevit autem ille in eo sensus, cum Jesum in periculo capitis coram falsis accusationibus silentem conspexit. « Mirabatur Pilatus, Je-
» sum innocentem, sapientem et eloquentem,
» in extremo vitae periculo constitutum, cum
» a potentissimis principibus furiose accusa-
» retur, et urgeretur ad necem, silere. Mi-
» rabatur igitur ejus animi moderationem,
» aequanimitatem, celsitudinem, mortis con-
» temptum, indeque magis ejus innocentiam
» et sanctitatem agnovit, omnibusque modis
» eum a manibus Judaeorum liberare sategit.
» Audi S. Athanasium, serm. de passione et
» cruce : *Magnum certe id et mirificum in Serva-*
» *tore, qui tacendo et non respondendo, tam efficax*
» *erat in persuadendo, ut judex ultro factiones con-*
» *spirationesque adversus eum initas, et agnosceret*
» *et confiteretur.* Ita saepe Sancti calumnias in
» se jactas silendo magis, quam respondendo
» confutant. Innocentis enim vitae silentium,

» vocalius est omni apologia quantumvis ver-
» bosa. » (CORN. A LAP.).

Ubi contra te plures conclamant, disce non conclamare tu, sed quiescere ac silere, primo quidem ex humilitate, sed et secundo quo facilius veritati sit locus.

In fine colloquium cum humillimo et sapientissimo Jesu, et *Pater noster*.

TERTIUM EXERCITIUM

Jesus coram Herode

LUC. 23

Praenotemus quomodo S. P. N. in tota quidem passione, ut diximus, sed hic maxime, ea quae ad opprobria Christi pertinent super omnia eligat, ut exercitantem in tertio humilitatis modo constituat atque magis ac magis confirmet. Ubi de doloribus agitur, quamvis iis in sex punctis multum insistat, et valde ad amorem Christi inflammandum conferant, tamen brevius eas commemorat, ut priorem locum opprobriis concedat : tum quia cum probatio amoris exhibitio sit operis, nullum opus est et Deo gratius et humanae naturae durius, quam contemptum et contumelias pro

Christo pati et prosequi; tum quia ex amore opprobriorum nascitur humilitas, quae ceterarum omnium virtutum mater est foecundissima. Ideo Ignatius Jesu stanti coram Herode et ibidem pro fatuo et ludione habito integram hanc contemplationem attribuit.

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. Erit hic quomodo *Pilatus misit Jesum (utpote Galilaeum) ad Herodem tetrarcham Galilaeae; Herodes, curiosus, interrogavit eum multum, et ille nihil ei respondit, licet scribae et sacerdotes constanter eum accusarent. Herodes cum sprevit cum exercitu suo, induens eum veste alba.* Ita S. P.

Secundum praeambulum, compositio loci. Erit videre plateas per quas trahitur Jesus, et domum in qua erat Herodes.

Tertium praeambulum non variatur.

Primum punctum. — Iter ad Herodem. Ubi audiere principes sacerdotum verba : *nullam invenio in eo causam,* in rabiem aguntur, et invalescentes, quod juste obtinere nequeunt, id vi, clamoribus, novisque calumniis, tollere et rapere conantur. *At illi invalescebant, dicentes : Commovet populum docens per universam Judaeam, incipiens a Galilaea usque huc.* Pilato comperta erat innocentia Jesu, comperta et injusta principum invidia. Cum autem Judaeos timeret,

nec auderet, servando Jesum, eorum iras in se concitare, ansam liberandi se ab ipsis propositam arripit, et suo eos capit laqueo. *Pilatus autem audiens Galilaeam, interrogavit si homo Galilaeus esset. Et ut cognovit quod de Herodis potestate esset, remisit eos ad Herodem, qui et ipse Jerosolymis erat illis diebus.* Laqueo subdole usus est Pilatus, sed ferreis timidus judex catenis a Judaeis comprehendetur. *Tribulatio et angustia omni homini operanti malum* (Rom. 2, 9).

Turbae immixtus cum Virgine dolorosa sequere per plateas Jesum ligatum, factum jam opprobrium hominum et vilissimae plebis abjectionem. Irati principes sacerdotum, quod Pilatus innocentem Jesum declarasset, eosque remisisset ad Herodem, novis Jesum et atrocioribus conviciis, maledictis, tunsionibus afficiunt; per plateas eum plectunt, trahunt, conspuunt. Ita sceleratorum hominum manibus tractatur aeternus ille Deus, quem trementes adorant Angeli; ipse vero silet, orans pro suis persecutoribus, non sua eos omnipotentia obruat, sed factus ex amore velut hebes ac stolidus, indigna illa omnia immotus sustinet. Quanta confusio hominis illius est, qui inter duos milites ligatus per plateas, spectante populo, ducitur ad carcerem! Quanta autem confusio est, si ille qui ita vilipendi-

tur, sit ipse Deus infinitae sapientiae, potentiae, sanctitatis!

Vere hic Jesus implevit illud : *Humiliavit semetipsum factus obediens,* non solum scelestis principibus, sed et abjectissimis eorum ministris obediendo, et sequendo trahentes se, percutientes se, et a judice ad judicem ignominiose ducentes. Utinam et ego, humilis et obedientis Christi Jesu discipulus et imitator, humiliem me, et iis saltem in omnibus obediam, qui pro me locum Dei tenent, ad nutum eorum ascendendo, descendendo, ingrediendo, egrediendo, et in omnibus naturae etiam durissimis, voluntatem et intellectum, cum simplicitate parvulorum, Deo in gratissimum holocaustum offeram! Haec est vera fidei vita, haec vera sapientia.

Secundum punctum. — Christus coram Herode. *Herodes autem, viso Jesu, gavisus est valde : erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod multa audierat de eo, et sperabat signum aliquod videre ab eo fieri.* Ista uno verbo resumit S. P. : *curiosus,* Impudicus enim ille S. Praecursoris occisor, idemque inflatus superbia, non quaerebat veritatem, sed suae curiositatis satisfactionem. Sperabat scilicet Jesum, quem ut famosum magum habebat, miraculum aliquod patraturum, tum ut coram rege suam

potentiam ostentaret, tum ut absolutionis gratiam obtineret. Hinc, viso Jesu, gavisus est valde; gavisus est et propter agnitam a Pilato suam auctoritatem. At gaudium ejus et risus, ut in perversis semper fit hominibus, mox dolore miscetur. *Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse ei non respondebat.* Non respondet is, qui Deus est, illi, qui et superbus est et impudicus et homicida. *Multis sermonibus :* quo plures erant interrogationes, eo etiam major erat impii regis humiliatio. *Deus superbis resistit,* nec *projicit margaritas ante porcos. — Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

Stabant autem principes sacerdotum et scribae constanter accusantes eum. Neque illis respondet humilis Jesus, sitiens pati et mori pro me.

Tertium punctum. — *Sprevit autem illum Herodes, cum exercitu suo, et illusit vestitum veste alba, et remisit ad Pilatum.* Ut pudorem suum et publicam suam confusionem excuteret, atque probrosam suam deceptionem tegeret, coram omnibus Jesum ut stultum habet et tractat : ut quid stultum et stolidum ad tribunal meum adduxistis? Non ille condemnandus, sed pro amente habendus. Vinculis iste non eget, sed alba stultorum veste. Sic Herodes contemptum fugit, quem quaerit et

amplectitur Jesus Dei Filius et Salvator meus.

Omne contemptuum genus amplexus est pro me Jesus. Ut occupatus a daemone habitus est : *Nonne bene dicimus nos, quia samaritanus es, et daemonium habes* (Io. 10)? Dictus est in principe Beelzebuth ejicere daemonia, pro mago habitus; item vorax, vinosus et malorum hominum amicus appellatus est : *Ecce homo vorax, et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus* (Matt. 11). Alias blasphemiae est accusatus, quia Filium Dei se faciebat. Captus est a Judaeis tanquam latro; reprehensus et alapa caesus apud Annam, ut arrogans; blasphemus dictus et impius apud Caïpham; tanquam malefactor Pilato traditus; a Judaeis accusatus, ut seductor, ut rebellis, ut regni affectator, ut sacrilegus. Quid amplius restabat post tot ignominias, nisi ut ei tanquam stulto et stolido illuderetur? Itaque Dei Filius, *in quo absconditi sunt thesauri sapientiae et scientiae,* non ab Herode tantum, sed et ab omni ejus exercitu, inter cachinnos et omnis generis subsannationes, stultus et demens acclamatur et illuditur. Sed quae mundo stultitia est, ea Deo est sapientia. Hoc intellexerat Paulus; hoc intellexit et Ignatius qui cum Doctore gentium dicit : *Mihi autem absit glo-*

riari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi (GAL. 6, 14). Stultitia illa, vera et genuina Jesu gloria est, nec ipsius tantum, sed et Societatis Jesu, qualem eam verus Christi discipulus Ignatius in undecima regula Summarii fundavit et esse voluit. Ne igitur quisquam dicat aut aestimet esse se de vera et genuina Societate Jesu, qui ad tertium ac felicissimum humilitatis modum non saltem aspirat.

Compatere Jesu tot ac tantas pro te ignominias sustinenti, ab Herode spreto, ab infimis mancipiis deriso, pugnis, verberibus, calcibus e palatio protruso. Contemplare quomodo per praecipuas civitatis plateas deductus, ab hominibus, mulieribus, pueris ipsis, inter clamores ac sibilos, alapis, luto, lapidibus, sputis excipiatur et in omnem partem velut stultus distrahatur. Vide, ut inter illa opprobria et saeva tormenta adeo sensilis ille dilectus cordis tui Jesus incedat pudore affectus et dilacerato Corde. Quis tam amantem non redamet? Quis cum ipso et propter ipsum, ignominiarum calicem bibere recuset? Non est discipulus supra magistrum. *Charitas urget me.* Quis cordatus vir honorari se cupiat et patiatur, cum Dominum, Deum, Servatorem suum ita inhonoratum et tanto contemptui expositum videat?

Et facti sunt amici Herodes et Pilatus in ipsa die : nam antea inimici erant ad invicem. Sic, quos inimicos fecerat superbia, eadem superbia per speciem honoris amicos effecit.

Ad pedes Christi Jesu stultorum stola vestiti, media in platea projice te, eum adora, et colloquium cum eo institue. In fine *Pater noster*.

Quartum exercitium, repetitio trium hujus diei mysteriorum.

Quintum exercitium, applicatio sensuum ad eadem.

Quinta dies

PRIMUM EXERCITIUM

Christus Barabbae postpositus

MATT. 27, MARC. 15, LUC. 23, JO. 18

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. Erit hic, quomodo Pilatus, affirmata iterum Jesu innocentia, petit ut, occasione Paschae, liberetur Christus; at principes sacerdotum concitaverunt turbam, ut potius Barabbae liberationem peterent, Jesum vero postularent ad mortem.

Secundum praeambulum, compositio loci. Erit hic videre domum Pilati et plateam ante positam.

Tertium praeambulum non variatur.

Primum punctum. — Timido et haesitanti judici, ut semper fit, res non successerat : indemnatum Jèsum ad Pilatum, intacta et integra causa, Herodes remiserat. Pilatus odii et invidiae Judaeorum expers, de innocentia autem Jesu plene persuasus, lamentabilemque ejus sortem miseratus, nihil non movet, ut reum, quem alte suspicere ex ejus sermonibus didicerat, e manibus inimicorum ejus eripiat; sed ita quidem eripiat, ut eorum tamen in se odium non convertat. *Pilatus autem, convocatis principibus sacerdotum et magistratibus et plebe, dixit ad illos : obtulistis mihi hunc hominem, quasi avertentem populum, et ecce coram vobis interrogans, nullam causam inveni in homine isto, ex his, in quibus eum accusatis. Sed neque Herodes : nam remisi vos ad illum, et ecce nihil dignum morte actum est ei.* Fuit modus ille agendi politicus, et, per consequens, injustus, quatenus Pilatus, ex una quidem parte Jesum servare voluisset, ex altera vero propriae suae incolumitati consulens, prius suam utilitatem quaerebat, dein, si id simul obtinere posset, innocentis salutem. Neutrum autem obtinuit;

nam Jesum perdidit, et perdidit seipsum. Ita plerumque fit, cum Superiores sibi ab arrogantia quorumdam timentes, laesos a malis bonos subditos injuste derelinquunt et malis istis, ut eorum malitiae se non objiciant, parcunt : boni inde cadunt animo vel etiam pereunt; mali autem, quo debiliorem sentiunt esse auctoritatem et timidiorem, eo audacius ex injustitia insolescunt.

Eximie quidem probat innocentiam Jesu Pilatus, idque ex triplici judicio : primo, quidem sui ipsius; secundo, Herodis; tertio tandem, ipsorummet Judaeorum : nam coram ipsis interrogatus est Jesus, et nulla ex accusationibus consistere valuit. At quo melius probat, eo etiam seipsum magis condemnat. Si enim comperta Jesu innocentia est, quid agendum superest, nisi ut dimittatur simpliciter, et inimici ejus meritam confusionem incurrant? At non ita Pilatus. Vult quidem dimitti Jesum; sed ut Judaeis non displiceat eorumque odio aliquid concedat, injustissimam et illogicam poenam flagellationis contra Jesum, quem penitus agnoscit innocentem, decernit : *Emendatum ergo illum dimittam*. Per clivum injustarum concessionum eum detrahent Judaei in abyssum. *Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis* (Jac. 1, 8). *Vae*

duplici corde... Vae dissolutis corde, qui non credunt Deo; et ideo non protegentur ab eo. Vae his qui perdiderunt sustinentiam, et qui dereliquerunt vias rectas, et diverterunt in vias pravas (Eccli. 2, 14 sqq.). E contra : *Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei* (Eccli. 39).

Omnis, qui a fine hominis recedens, quaerit primo seipsum, secundo vero loco justitiam, et non primo justitiam, ac dein, per justitiam, suam salutem, procul dubio ad injusta declinabit; ac in novissimo se male habebit. *Quaerite primum regnum Dei, et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis* (Luc. 12, 31).

Secundum punctum. — Pilatus, qui, abdicata, ne Judaeis displiceret, sua judicis auctoritate, non potuit a principibus obtinere ut innocentiae Jesu parceretur, novam eum liberandi viam tentat, Christo quidem ignominiosissimam, sed quam sperat fore efficacem. *Per diem autem solemnem consuerat praeses populo dimittere unum ex vinctis, quemcumque petiissent. Habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas. Erat autem qui dicebatur Barabbas latro, qui cum seditiosis erat vinctus, qui in seditione fecerat homicidium. Et cum ascendisset turba, coepit rogare, sicut semper faciebat : Est consuetudo vobis ut unum vobis dimittam in*

Pascha; quem vultis dimittam vobis? Barabbam, an Jesum qui dicitur Christus? Vultis dimittam vobis Regem Judaeorum?

En quo devenit timens sibi ex parte Principum Pilatus : Jesum quem innocentem declaravit, cum seditioso, cum latrone, cum homicida assimilare consentit. Contemplare Jesum verba illa audientem. Non satis ei est damnari ut scelestus; existimari se patitur sceleratissimo illius temporis sceleratiorem. Ipsi compatere; ipsum cum omni humilitate reverere, ama, lauda et adora.

Sperabat certe Pilatus, non quidem a parte sacerdotum : *sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum summi sacerdotes;* sed a parte plebis, quam tantopere et dilexerat Jesus, et omni beneficiorum genere cumulaverat. Leprosos mundaverat, caecorum oculos aperuerat, mutos fecerat loqui et surdos audire, languentes erexerat, saturaverat famelicos, tristes erat consolatus, mortuos revocaverat ad vitam; ita ut plebs exclamaret : *Bene omnia fecit,* et eum vellet regem facere. Haec noverat Pilatus, atque confidebat plebem, quae tanto cum amore Jesum erat secuta, hanc Jesum servandi occasionem arrepturam. Et re quidem vera, si sibi relicta turba fuisset, procul dubio Pilato assensisset.

Dum recedens Pilatus tempus deliberandi relinquit, accede ad Jesum, et pete ab eo quomodo consentire possit, ut ipse, qui infinita innocentia est et Deus Dominus, cum sceleratis reputetur; et audi Prophetam tibi respondentem : *Omnes nos quasi oves erravimus... et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus propter scelera nostra* (Is. 53). Sceleratior igitur meipso visus es, Jesu, sceleratior Barabba, sceleratior omnibus omnium generationum sceleratis, utque talis a Patre tuo tractatus es, quia, ut omnes homines ab aeterna damnatione eriperes, per infinitum divini Cordis tui amorem, omnium omnino hominum peccata quasi tibi propria, in te unum assumpsisti. Ut tanto amori respondeam, quid debeo *facere et pati pro te?*

Respice nunc turbam, ac vide quam sit mutabilis, et quam facile perversi seductores eam ab una parte in alteram inclinent. *Principes autem sacerdotum,* in turbam dispersi, *concitaverunt turbam, et persuaserunt populo ut peterent Barabbam, Jesum vero perderent.*

Interea misertus Jesus Pilati tantum scelus commissuri, eum per miraculum deterrere conatur. *Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum uxor ejus, dicens : Nihil tibi et justo illi. Multo*

enim passa sum hodie (scil. mane hujus diei, adhucdum decumbens) *per visum propter eum*. Somnia enim terrifica ei Jesus per Angelum immiserat, ut maritum suum a deicidio detereret. Claudia Procula illa vocabatur, et postmodum, ut aiunt, ex isto caelesti somnio ad Christum est conversa. Pilatus autem tunc conversus non est, nec minitanti uxori suae obtemperavit. Magnum illud divinae fidelitatis ac Providentiae ex una parte, ex altera vero humanae libertatis exemplum! Non incuriosus Deus est animarum quas ad imaginem suam condidit et Filii sui sanguine redemit, sed absconditae plerumque sunt nostris oculis viae misericordiarum ejus. Si tanta pro deicidis, pro Juda, pro Pilato, pro perfidis Judaeis fecit, ut eos a viis inferni revocaret, quid pro ceteris faciet? Quod Deus in animabus spiritualiter operatur, maxime in hora mortis, non videmus. Certum est divinam bonitatem infinitam esse et ad omnes extendi; certum est Deum velle omnes homines salvos fieri; invisibiles autem viae sunt illae, quibus divina Providentia suam hanc voluntatem prosequitur : in hoc latet mysterium. Sed in altera vita nemo non mire stupebit, videndo et sapientiam, et providentiam, et misericordiam Dei. Certo nemo damnabitur, nisi sciens et volens;

nemo ex damnatis non dicet : *Perditio tua ex te, Israel! Justus es, Domine, et rectum est judicium tuum.*

Tertium punctum. — Tumultuantem turbam respice et coram ea sedentem in suo tribunali Pilatum anxium et iratum, quod a Judaeis ad damnationem justi cogatur. Vel enim dimittet Jesum, et Principum invidiam in se concitabit; vel eum morti addicet, et scelesti facinoris notam coram conscientia sua et coram imperio incurret. Conatur ad se accusatores attrahere, sed quia secundas tantum dat justitiae partes, primas autem sibi, in nefandum suum scelus eum pertrahent impii sacerdotes.

Respondens autem praeses, ait illis : Quem vultis vobis de duobus dimitti? Exclamavit ergo universa turba, dicens : Tolle hunc, et dimitte nobis Barabbam. — Non hunc, sed Barabbam. O duplex et inscrutabile mysterium, quod eo perversitatis et crudelitatis cor humanum, ubi vitiis se tradit, deveniat, et quod Salvator Deus tantam malitiam et barbariem, non modo aequo animo ferat, sed ex hominis amore libenter suscipiat. Comparavit gentilis praeses Jesum innocentem cum seditioso, cum latrone, cum homicida, ut eum servaret, et id ingens scelus fuit; populus autem Dei, a Deo

immensis et innumeris beneficiis cumulatus, immo et sacerdotes ejus Barabbae Jesum postposuerunt. Perpende et exprime, si potes, offensam cum offenso componens, hujus sceleris immanitatem, et promeritam per illud maledictionem : nec unus, aut pauci ita exclamaverunt, sed *universa turba*.

Intuere Jesum et intra in Cor ejus; quod enim sentimus, et ipse sentit, multoque intimius. Quem putas tunc in Corde ejus fuisse doloris et confusionis sensum, cum infernalem illam audivit exclamationem? Aderat ibi et dulcissima et dolorosa Mater, turbae immixta; quid talis Filii talis Mater sensit, cum plumbea illa verba : *Non hunc, non hunc, sed Barabbam* ceciderunt in Cor ejus?

Matri compatere, compatere multo magis et Filio. Non compatieris tu, cum et gentilis praeses compatitur? Indignatus enim et tanta injustitia vehementer commotus, irato vultu et ore turbam compellat? *Iterum autem Pilatus locutus est ad eos,* VOLENS DIMITTERE JESUM : *Quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus? Qui dicitur Christus :* hoc ad movendos et terrendos Judaeos dicit Pilatus, qui et ipse ex suo cum Jesu colloquio magnum quid et divinum de eo, praesertim post uxoris suae nuntium, non poterat non sentire. Ast exinde

multo nocentior judex. Cum, comperta rei innocentia, turbae et sacerdotibus resistere debuisset, eos consulit. *Quid igitur faciam de Jesu?* Titubantem eum cernentes Judaei invalescunt et urgent : *At illi iterum clamaverunt* OMNES : *Crucifigatur,* et ei imperantes : *Crucifige, crucifige eum.* Ultimus hic ac terribilis ictus est : respice cor Jesu, respice cor Mariae.

Excandescens Pilatus, quod ad scelus committendum cogatur, iterum, sibi providens, plebem ab irato compellat, ac Jesum, sed sine suo proprio detrimento, defendit. *Pilatus autem* tertio dixit ad illos : *Quid enim mali fecit iste?* denuoque et Jesu innocentiam affirmans, et suam propriam culpabilitatem ac Judaeorum injustitiam proclamans, addit : *Nullam causam mortis invenio in eo.* Ut autem Judaeos emolliat, per summam injustitiam et crudelitatem, ac per summam inconsequentiam concludit, insonti flagellationem decernendo : *Corripiam ergo illum, et dimittam.* Quo dicto, continuo recedit.

In fine colloquium, et *Pater noster.*

SECUNDUM EXERCITIUM

Jesus flagellis caesus

MATT. 27, MARC. 15, JO. 19

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. Erit hic, quomodo, ait S. P., *apprehendit Jesum Pilatus, et flagellavit eum.*

Secundum praeambulum, compositio loci. Erit hic videre locum ignobilem praetorii, in quo scelesti servi flagellabantur.

Tertium praeambulum non variatur.

Primum punctum. — Considera injustum judicem jubentem ministros ac milites a Judaeis incitatos procedere ad flagellationem; considera principes sacerdotum de parta jam victoria laetantes, eamque certo plenam fore sibi promittentes; considera et Jesum humilem, patientem, tractum cum ignominia ac feroci gaudio ad sanguineum et foetidum flagellationum locum.

Sententia Pilati est 1. *Injustissima.* Flagellatio iis debebatur malefactoribus qui ad crucifixionem sententia judicis fuerant damnati. Atqui Pilatus pluries affirmaverat : *Nullam invenio in eo causam,* nedum crucifixionis poe-

nam in Jesum ferret. Unice igitur ut Judaeis placeat et eorum faveat odio, tam crudeli supplicio innocentem devovet.

2. Est *ignominiosissima,* non solum quia in servos et abjectissimos poena illa exercebatur, sed quia adjunctam habebat ignominiam quae divino servatori fuit crudelissima, nempe denudationem. Adam, ubi peccaverat, adeo de seipso, propter suam nuditatem erubuit, ut ipse et uxor ejus *consuerint folia ficus et fecerint sibi perizomata; statim autem ac audierunt vocem Dei, absconderunt se a facie Domini in medio ligni paradisi.* Inde origo peccati illius quod sibi proprium nomen semper habebit *turpe.* Porro, etsi erat omnis peccati et cujuscumque ad peccatum propensionis incapax, voluit tamen Dominus noster et illam ex peccati turpitudine manantem confusionem in se suscipere, tum ut tot impudicas mundanorum nuditates, tot immodestos aspectus suo rubore expiaret, tum ut immundis peccatoribus animum et gratiam, ad foeditatem suam in sacro tribunali aperiendam, obtineret. Nulla autem exstitit aut existet unquam confusio, quae illi confusioni, quam tunc passus est Jesus, comparari valeat. Multae sunt pudicae animae, quae prae tali confusione mortem praeoptant et eligunt. Quanta fuerit in Jesu purissimo et

supra omnem creaturam, supra ipsam immaculatam Virginem pudico, quando impudicorum et protervorum ministrorum, irridentium militum, gestientium sacerdotum, conversos in se oculos vidit, nemo unquam concipiet. *Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me* (Ps. 22) *et confusio facici meae cooperuit me* (Ps. 23). Ita me mitissimus et humillimus Jesus amavit; pudorem illum pro peccatis meis pati voluit : *quid ego debeo facere et pati pro illo ?*

3. *Crudelissima.* Adeo saeva illa verberatio erat, ut quibusdam sontibus contigerit, nondum completis quadraginta ictibus a lege romana praescriptis, ante crucifixionem mori. Jam vero innocenti Jesu, indeterminato ictuum numero, talis flagellatio indicitur, ut visis lamentalibus et sanguineis corporis ejus confractionibus, aenea ipsa furentium sacerdotum corda scindi valeant, sicque Pilatus injustae crucifixionis invidiam a se amoveat, nec idcirco Judaeis displiceat.

Secundum punctum. — In tota Passione contemplanda, nihil fere fructus faciet exercitans, nisi afflante ei haud communi gratia. Hac enim deficiente, et historiam dolorum et opprobriorum Christi, et affectu plenas descriptiones sine sensu perleget et recolet. Si autem radius Divini Cordis in eum venerit,

si guttula unctionis Spiritus Sancti in animam ejus inciderit, vividissimae in eo Christi patientis imagines describentur, et nonnunquam illacrymans, amore et dolore in Jesum totus rapietur. Ast, ut felices illi effectus a Deo producantur, proprium hominis concursum et laborem Dominus requirit. Ideo S. P. sex illa puncta exercitanti, ut efficacissimam laboris materiam, ac in primis tria ultima quae Passioni propria sunt, subministrat. Meminerit igitur, maxime in hoc et sequentibus exercitiis, is cui traduntur Exercitia, verborum S. P. N. : *et hic incipere* MAGNO NISU *et* CONARI, *ad dolendum, tristandum et plangendum; et eodem modo* LABORANDO *per cetera puncta quae sequuntur*. Haec saepe in memoriam exercitantis, cum ei puncta traduntur, revocanda sunt.

Vivide hic tibi repraesenta spatiosum locum flagellationis, et in eo columnam, cui rei alligabantur. Probabiliter illa fuit quae in Ecclesia S. Praxedis asservatur, eaque minime alta, ita ut Jesus ex omni parte flagella posset accipere. Intuere sexaginta viros qui, juxta id quod S. Maria Magdalena de Pazzi in ecstasi didicit, sibi succedentes Jesum flagellaverunt; quorum alii spinеis flagellis, alii chordis ferreis atque acuminibus munitis, alii catenis ferreis aduncis utebantur. Intuere et

praesentes principes sacerdotum ad saevitiam excitantes, item ministros aliosque de plebe.

Intuere et mitem Jesum sinentem se nudum, cunctis irridentibus, strictim et crudeliter ad columnam funibus alligari. Intuere tortores, dum flagellare cum infernali furore incipiunt : vide vulnera, vide defluentem undique sanguinem et in tortores ipsos salientem. Brevi totum corpus Jesu vulneribus obducitur; super vulnera iterum atque iterum verbera incidunt; ferrea acumina carnes penetrant ac lancinant; aduncae catenae rubea carnium frusta diripiunt et circum circa dissipant; fluunt ex toto corpore Jesu rivi sanguinis qui pavimentum inundant; ossa ipsa divinae Victimae, abreptis carnibus, cernuntur : *Dinumeraverunt omnia ossa mea* (Ps. 21, 18). *Concidit me vulnere super vulnus; irruit in me quasi gigas* (Job. 16, 15). — Sicut arator sulcis scindit terram, ita et tortores carnem Jesu delicatissimam disciderunt : *supra dorsum meum fabricaverunt peccatores* (Ps. 128, 3), seu ad litteram : *Araverunt aratores dorsum meum.* Totum Jesu corpus a capite ad pedes usque non nisi plaga est et sanguis; et quemadmodum sanitatem a vitiis in populo nullam esse Propheta dixerat, ita nunc de sacratissimo Corpore dicendum est : *A planta pedis usque ad verticem capitis non*

est in eo sanitas. Quis jam in hac excoriata, confossa, sudante sanguinem carne speciosissimum filiorum hominum agnoscat? *Non est species ei, neque decor : et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum, despectum et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem : et quasi absconditus vultus ejus et despectus, unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit : et nos putavimus eum, quasi leprosum, et percussum a Deo et humiliatum* (Is. 53).

Ita pro me peccatore, et pro me praesertim voluptuoso et impudico tractatus est innocens Jesus : *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Magno nisu conare aliquid saltem sentire de profundis, de acutissimis, de universalibus doloribus Jesu, et interroga te : *Quid ego debeo facere et pati* pro illo?

Contemplare nunc Jesum vulneratum usque ad ossa et sanguine velut purpura rubescentem. Agnoscis eum quem in Regem et ducem in meditatione *de Regno* elegisti? Agnoscis eum erga quem magis quam ceteri affici voluisti? Agnoscis eum quem ducem secuturum te inter opprobria et dolores promisisti? An non deficit nunc forte cor tuum? Aspice, aspice eum tantopere amantem, et totum ad faecem usque

calicem ebibentem, cujus aliquas tibi guttas propinat. *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suae. Ego, qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum.* Haec militia illa est, de qua in Regno Christi. Vide nunc divini tui Ducis magnanimitatem et fortitudinem, vide quid ex amore tui faciat. *Quare ergo rubrum est vestimentum tuum sicut calcantium in torculari? Torcular calcavi solus, et de gentibus non fuit vir mecum; calcavi eos* (inimicos scilicet animarum, peccata et potestates tenebrarum) *in furore meo, et conculcavi eos* (vi opprobriorum et dolorum meorum) *in ira mea : et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, et omnia indumenta mea inquinavi. Dies enim ultionis in corde meo, annus redemptionis meae venit.* Attende sequentia, et interroga cor tuum, ubi sit : *Circumspexi, et non erat auxiliator : quaesivi, et non fuit qui adjuvaret : et salvavit mihi brachium meum, et indignatio mea auxiliata est mihi* (Is. 53).

Times vulnera, times pati et humiliari? Respice ducem tuum, et audi S. Bernardum : *Devotus miles non sentit sua, quando benigni Ducis intuetur vulnera.* (Serm. in Cant.).

Tertium punctum. — Sistunt milites; videntes enim fatiscentem sub vulneribus Jesum

ac pene moribundum, flagella sanguine plena projiciunt, atque ut ejus vita ad crucifixionem usque producatur, vincula solvunt. Respice Jesum viribus et halitu destitutum, in rivos sanguinis super pavimentum prolabentem. Horribile illud spectaculum intuere. Colligit Jesus vires, quantum potest, et perrepit ad vestimenta sua, ut nuditatem suam, inter adstantium scommata et irrisiones, operiat.

Conjunge te, ut compatiaris Jesu tuo, piae ac dolorosae Matri ejus; nam ipsamet divina Virgo flagellationi Filii sui praesentem se fuisse S. Birgittae verbis sequentibus revelavit (Lib. I, c. 10). « Deinde ductus ad colum-» nam, personaliter se vestibus exuit. Perso-» naliter manus ad columnam applicuit, quas » inimici sine misericordia ligaverunt. Alli-» gatus autem nihil omnino operimenti habe-» bat. Sic stabat, et patiebatur erubescentiam » nuditatis suae. Consurrexerunt autem ini-» mici ejus, qui fugientibus amicis suis undi-» que astabant, et flagellabant corpus ejus, ab » omni macula et peccato mundum. Ad pri-» mum igitur ictum, ego quae astabam pro-» pinquius, cecidi quasi mortua; et resumpto » spiritu, vidi corpus ejus verberatum et fla-» gellatum usque ad costas, ita ut costae ejus » viderentur. Et quod amarius erat, dum re-

» traherentur flagella, carnes ipsis flagellis » sulcabantur. Cumque Filius meus totus sanguinolentus, totus sic laceratus stabat, ut in » eo non videretur sanitas, nec quid flagellaretur, etc. »

In tantis autem tormentis, neque gemitum, neque signum aliquod doloris dedit Jesus; omnia immotus et imperterritus sustinuit, ita ut quasi rex omnes dolores et omnia opprobria sibi subjiceret, iisque dominaretur. Unde ista victoria? Ex superiore istis omnibus tormentis amore in Deum et homines; ex suo amore erga me. Quantus hic amor esse debuit, ut tam saeva superaret! *Dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.* Sic in Martyribus amor Jesu tormenta omnia superavit, immo saepe et illa in gaudium convertit. Quam patientiam operatur in me amor Jesu?

In fine Colloquium et *Pater noster.*

TERTIUM EXERCITIUM

Jesus spinis coronatus

MATT. 27, MARC. 15, JOAN. 19

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. Erit hic quomodo, ait S. P., *milites fecerunt coronam de*

spinis, et posuerunt eam super caput ejus : et vestierunt eum purpura, et veniebant ad eum, et dicebant : Ave, Rex Judaeorum, et dabant ei alapas.

Secundum praeambulum, compositio loci. Erit hic videre iterum locum in quo flagellatus est Jesus, tinctum jam divino sanguine, et in eo humilem columnam.

Tertium praeambulum non variatur.

Primum punctum. — Permittente, sed non jubente Pilato, discisso vulneribus Jesu novum et eousque inauditum, instigante diabolo, paratur a militibus supplicium, crudelissimum simul et ignominiosissimum. Cum dixisset Jesus esse se regem, ludicrum adornant ipsi, inter risus et cachinnos, triumphum regalem. Et primo quidem coronam ipsi spineam contexunt. Ut autem cum derisoria magis solemnitate et crudeliori gaudio regia illa institutio fieret, totam cohortem, quingentos scilicet milites, in praetorium convocant. Apprehendentes autem Jesum, ad columnam eum sistere jubent; obedit et sistit Jesus. *Tunc milites praesidis suscipientes Jesum in praetorium, congregaverunt ad eum universam cohortem :* ubi vero hi advenerunt, inter exortos propter rei inventae singularitatem plausus et risus, milites *plectentes coronam de spinis posuerunt super caput ejus,* pro sceptro quidem : *et arundinem in*

dextera ejus. Deinde Jesum, cum immenso plagarum vesti adhaerentium dolore, denudant, ut pro regio paludamento vilem aliquem pannum purpureo similem accipiat super humeros ad derisionem. *Et exuentes eum chlamydem coccineam circumdederunt ei.*

Corona Jesu fuit ei dolorosissima, tum quia, ut Romae visitur, maxima saltem ex parte, ex longis ac praeacutis spinis constabat, tum quia cerebro, quae pars capitis est valde sensibilis, imposita et infixa est. Ubi vero per tortorum ictus nervos et ossa penetravit, ex singulis punctionibus rivi sanguinis defluxerunt qui totum Christi inundaverunt caput. Intuere regem tuum, sponsum tuum, Jesum tuum, dilectum tuum sanguinolentum; crines ejus, barba, os, oculi, genae, omnia oppleta sunt sanguine. *Dilectus meus candidus* innocentia, *et rubicundus* effuso sanguine. *Caput tuum ut Carmelus : et comae capitis tui sicut purpura regis vincta canalibus* (CANT. 7). *Non est ei species, neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus* (Is. 58). *Maledicta terra in opere hominis : spinas et tribulos germinabit Christo* (OFF. SPIN. Cor.). « Egredimini, filiae Sion, animae » saeculares, debiles, delicatae filiae, et non » filii, in quibus nihil est fortitudinis, nihil » est virilis animi... Videte regem Salomonem

» in diademate, quo coronavit eum mater » sua, in corona paupertatis, in corona mise- » riae : si quidem coronatus est et a noverca » sua corona spinea. » (S. BERN. DIV. OFF.) Vide an te militem Christi rosis coronari deceat sub Capite spinis coronato!

Coronatio Jesu fuit ignominiosissima. Regem se dixerat Jesus, et rex erat, Rex omnium saeculorum, cujus regni non erit finis, idem et Deus, Creator ac Dominus universorum, cui omnia vivunt, et per quem omnia facta sunt. Intuere nunc quo abjectionis ex amore tui descenderit. Irridetur a vilissimis servis ac militibus, plaudentibus sacerdotibus, regia ejus ac divina dignitas; tractatur, medios inter cachinnos, non ut rex, sed ut ludio stultus ac stupidus; eoque major inimicorum ejus audacia ac ferocia est, quod, abscondita sua divinitate, se reipsa velut stolidum ac stupidum exhibeat, quo plenius ignominiae calicem, hebetis instar, exhauriat. Quanta ignomina coram tortoribus, coram triumphantibus sacerdotibus, coram plebe, coram universa cohorte! Filius Dei ille est; ego vero, cum nihil sim et foetens peccatis, ob minimam verborum punctionem irascor et excandesco. Pro meis superbiae, sensualitatis, vanitatis, ultionis cogitationibus, sanguineos

spinarum aculeos suscipit Deus Servator meus, et ego superbio et tabesco invidia!

Secundum punctum. — Aderat corona, aderat sceptrum, aderat purpura; ecce jam, quales Regi Servatori conveniunt, acclamationes, et festivae gratulationes. *Et genu flexo ante eum, illudebant ei, et coeperunt salutare eum, et veniebant ad eum, et dicebant : Ave, Rex Judaeorum. Et acceperunt arundinem, et percutiebant caput ejus et dabant ei alapas, et conspuebant eum, et ponentes genua adorabant eum.*

Finge tibi vivida imaginatione ista nunc fieri, teque iis interesse juxta secundum praeambulum, et sex punctis S. P. N. adhibitis, singula illa opprobria praesens conspice, eorumque atrocitatem, Christo Jesu compatiens, perpende. Intuere pavimentum sanguine conspersum; intuere truculentas et infernales inimicorum Christi, servorum, militum, pontificum facies. Respice Jesum nudo corpore, vel potius nudis vulneribus, oculis in terram defixis, sanguine rubescentem, sed pacato et humili vultu, sine intermissione alapas, sputa, irrisorios gestus, ridiculas oris contorsiones, blasphemas salutationes et adorationes in silentio sustinentem. Intuere, dum percutiunt caput ejus, et inde spinas cerebro ejus infigunt, sanguinem ex omni parte capitis scatu-

rientem, et in oculos, in genas, in os, in vestes ejus per rivulos defluentem. Ipse autem, velut agnus innocens, mitis atque inermis, abscondita divinitate, illa omnia silentio, patienter, immo cum gaudio propter me suscipit. Per os Psalmistae dixerat : *Opprobrium insipienti dedisti me. Obmutui, et non aperui os meum, quoniam tu fecisti. Amove a me plagas tuas. A fortitudine manus tuae ego defeci in increpationibus : propter iniquitatem corripuisti hominem* (Ps. 38).

Audi Jesum ita opprobriis saturatum ingeminantem : *Filios enutrivi, et exaltavi : ipsi vero spreverunt* (Is. 1, 2). *Improperium expectavit cor meum et miseriam, et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit; et qui consolaretur, et non inveni.* Non inveniet te consolatorem? Genuflecte et tu ad pedes ejus, et adora : Ave, Rex cordis mei. Et dum percutiunt, rue tu in amplexum ejus : non repellet ille, qui Judae osculum non negavit.

Tertium punctum. — Regnum Christi in ipsa Passione initur. Audi S. Bern. de Pass. c. 19 : « Licet in irrisione coronent, tamen » ignorantes et irridentes coronatum regem » fatentur. Ergo rex eorum vel ab ipsis nes- » cientibus demonstratur. » Regem terrenum in Jesu contemnunt, et irrident et negant,

verum autem regnum ejus ipsimet constituunt. De suo regno Jesus Pilato dixerat : *Regnum meum non est de hoc mundo;* regnum quippe ejus terrenum non est, sed caeleste. Regnum ejus regnum animarum quas acquisivit sanguine suo. Rex est Jesus, quia Jesus est, id est Servator; servavit autem animas per passionem et opprobria; nam sic regnum Luciferi et regnum peccati evertit ac destruxit. « Sic, ait (Aug. tr. 116 in Io.), regnum quod de » hoc mundo non erat, superbumque mundum » non atrocitate pugnandi, sed patiendi hu» militate vincebat, portans spineam coro» nam et purpureum vestimentum, non cla» rus imperio, sed plenus opprobrio. »

Redi jam ad contemplationem de Regno Christi. Dixerat tibi Jesus, annuntians regnum suum : *Mea voluntas est subjicere totum mundum, et omnes inimicos, et sic intrare in gloriam Patris mei; proinde qui voluerit venire mecum, debet mecum laborare, ut sequens me in poena, etiam sequatur in gloria.* Haec erat expeditio facienda, vincere scilicet inimicos Dei, daemonia, peccata, et subjicere Dei servitio totum mundum; hoc efficere, non aliud est quam regnum Dei procurare. Ast, ut fiat illa totius mundi subjectio, pugnandum est et vincendum : ad pugnam autem labor et poena requiruntur.

Quae illa pugna sit, qui labores, in tertio puncto expresse declaratur : nempe *non solum offerre se totos ad labores, sed etiam agendo contra propriam suam sensualitatem* (obviam eundo doloribus), *et contra suum amorem carnalem* (postponendo propinquos Deo) *et mundanum* (scilicet mundanae gloriae studium) *offerre se, dummodo sit majus Dei servitium, ad imitandum* Christum ducem, IN FERENDIS OMNIBUS INJURIIS ET OMNI VITUPERIO *et omni paupertate*. Ecce jam pugna illa, quae tunc praenuntiabatur, in pleno nunc aestu a Christo duce committitur, et imminet promissa a Christo victoria. In praetorio vix non ad extremum cum hoste pugnat; victus videtur, et vincit. Quomodo autem vincit et vincunt ejus commilitones? Respice Jesum, respice plagas ejus, respice purpurae pannum, respice spinas, respice arundinem, respice sputa, respice faciem alapis et pugnis contusam, respice in vultu sanguinis rivos, audi cachinnos, injurias, irrisiones, blasphemias; respice Jesum silentem velut stupidum et sceleris convictum, respice exultantes de injuriis ejus sacerdotes. Sic vincit suis opprobriis Luciferi superbiam et cum superbia cetera vitia omnia. Ad similia cum Christo ferenda te ab initio secundae hebdomadae obtulisti; vide jam utrum serio, an affectuose tantum ad illa

te obtuleris. Si ad minimam injuriae speciem intumescis, si laudes appetis et libenter accipis, si vilibus uti vestibus erubescis, si sententiam tuam acriter tueris et eos qui aliter sentiunt acriter et probrose confundis, si de tuis rebus et de te cum vanitate loqueris, si propter tui contemptum tristaris, si locum ambis honoratiorem, ne tibi ipsi illudas, nec Christum plene et serio sequeris, nec cum iis recenseris de quibus in tertio puncto.

Nodum in hac contemplatione tenemus, quae apicem opprobriorum nobis in Christo ostendit, et quam propterea S. P. N., in ceteris tam brevis, fuse per singula proponit. Nil enim magis cordi habuit S. P. : noverat quippe in amore contemptuum et opprobriorum fontem altissimae sanctitatis, et apostolici ministerii victoriam latere.

Tam profunde hoc menti, per divinam illustrationem, insitum habuit, ut nulli alii fundamento Societatem suam inniti voluerit; suosque filios hanc humilitatem non utcumque prosequi contentus fuit, sed ad ipsam humilitatis omnimodam perfectionem totis viribus incessanter contendere voluit. In contemplatione enim de *Regno Christi,* suggerit exercitanti *imitari Christum in* FERENDIS *omnibus injuriis;* in regula autem undecima, non censet eos

e filiis *serio* sequi Christum, qui non AMANT ET ARDENTER EXOPTANT pati pro Christo injurias, *indui eadem veste* (alba atque etiam purpurea), *ac insignibus* (arundine scilicet et spinea corona) *Domini sui, pro ipsius amore ac reverentia; adeo ut si sine offensione ulla divinae Majestatis, et absque proximi peccato foret, vellent contumelias, falsa testimonia, et injurias pati, ac stulti haberi et existimari.* In his vera et genuina Societas Jesu consistit; consistit et in his regnum Christi perfectum. Primus igitur gradus imitationis Christi ponitur in Exercitiis : *ferre* ex amore Jesu *injurias et omne vituperium.* Secundum autem, eumque perfectissimum, filiis suis in undecima regula proponit S. P. : *amare* et *exoptare,* nec solum exoptare, sed *ardenter exoptare* injurias, etc. In hoc totus Ignatius, et origo sanctitatis ejus, operum ejus et ejus divinorum charismatum.

In fine colloquium et *Pater noster.*

Sexta dies

PRIMUM EXERCITIUM

Christus iterum coram populo apud Pilatum

JO. 19, MATT. 27, MARC. 15, LUC. 23

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. Erit hic quomodo Pilatus exhibet Jesum populo : *Ecce homo;* sed respondent : *crucifige eum; secundum legem nostram debet mori, quia Filium Dei se fecit.* Territus Pilatus interrogat Jesum in praetorio : *Unde es tu?* Iterum tentat Jesum servare, sed respondent : *Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris.* Nihil proficiens, tandem condemnat Jesum, et liberat Barabbam.

Secundum praeambulum, compositio loci. Erit hic videre aream, in qua est populus, et domum Pilati, ejusque tribunal.

Tertium praeambulum non variatur.

Primum punctum. — Nil Pilatus sperabat a Pontificibus, qui, non secus ac Judas, possessi erant a diabolo; porro possessio animarum multo terribilior est quam possessio corporum. Sperabat autem a plebe, utque eam compassione moveat, adducit foras Jesum. *Exivit ergo iterum Pilatus foras et dicit eis : Ecce*

adduco eum foras, ut cognoscatis quia nullam invenio in eo causam. Iterum atque iterum et innocentiam Jesu, et, per consequens, propriam suam injustitiam proclamat. His dictis, Jesum producit in flebili et miserabili statu. *Exivit ergo Jesus* factus obediens usque ad mortem, *portans spineam coronam et purpureum vestimentum; et dicit eis Pilatus : Ecce homo.* Aspice Jesum dilectum tuum in tam lamentabili statu, partim nudatum, sed totum sanguineis vulneribus plenum; aspice ejus modestiam, silentium, patientiam, et specietenus stoliditatem. Si non esset hora impiorum et potestas tenebrarum, quis ex spectantibus non ad lacrymas usque fuisset permotus? Et re quidem vera plebs silet; soli satanici pontifices sacerdotum respondent. *Cum ergo vidissent eum pontifices et ministri, clamabant,* ut vim Pilato facerent et commoverent plebem, *dicentes : Crucifige, crucifige eum.* Iratus, iterumque spe liberandi sine suo incommodo Jesum frustratus, indignatur Pilatus, volensque injustam damnationem a se declinare, ex impetu respondet. *Dicit eis Pilatus : Accipite eum vos et crucifigite : ego enim non invenio in eo causam.* Injuste et scelerate judex, cur eum, toties a te penitus innocentem proclamatum, non vindicas et dimittis? *Responderunt ei* iterum cum

suis sacerdotibus, a quibus incitabantur, *Judaei :* Si tu Romanus eum habes innocentem, *nos legem habemus, et secundum legem nostram debet mori, quia Filium Dei se fecit.* A priori ex invidia statuerant eum non agnoscere ut Messiam, qui debebat esse Filius Dei; hoc eorum scelus fuit, non obstantibus signis. Pilatus autem qui revereri Jesum didicerat, et forte divinum quid de eo sentiebat, timore correptus, ne Deum condemnaret, eum rursus in praetorium introduxit et de ejus personae qualitate interrogavit. *Cum audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. Et ingressus est praetorium iterum : et dixit ad Jesum : Unde es tu?* Praecisa illa interrogatio erat, et ita quidem ut si responderet Jesus, confiteri deberet esse se Filium Dei. Tale responsum jam non merebatur praeses, qui abrumpendo sermonem eo momento quo incipiebat Jesus veritatem ei aperire, divinae gratiae restiterat, immo et ad injustam condemnationem, si ipsius interesset, paratus erat; ceteroqui ad credendum erat imparatus. Idcirco interroganti non respondet Jesus : *Jesus autem responsum non dedit ei.* Illuminare te volui, et noluisti, nunc taceo; ex hoc intellige me non timere mortem : immo vellem ei occurrere, quia verus Messias sum pro salute mundi mo-

riturus. Silentium illud divina Majestate dignum Pilato fuit non solum significans, sed et terrificum. Timebat praeses a parte sacerdotum, timebat a parte Judaeorum; ecce nunc timet a parte Dei : sic iis omnibus accidit, qui sua super omnia quaerentes non ambulant in via recta. Insistit apud Jesum, eique, ut responsum obtineat, terrorem conatur incutere. *Dicit ergo ei Pilatus : Mihi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo crucifigere te et potestatem habeo dimittere te?* Habebat quidem, quatenus praeses a Caesare constitutus erat super Judaeos romanae potestati jam subjectos, sed ad sceleris convictos, non vero ad agnitos a se innocentes crucifigendos. Damnandi igitur Jesum innocentem nullam habebat legitimam potestatem, sed physicam tantum per injustum potestatis abusum. Sed neque haberet potestatem, nisi Deus, et consequenter Jesus Dei Filius, in ordine ad redimendum mundum eam ipsi concessisset. *Respondit Jesus : Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi datum tibi esset desuper;* non priorem illam, nisi translatum esset a Deo sceptrum de Juda; non posteriorem, quia nisi vellet Deus, nisi vellem ego pro mundo mori, ne injuste quidem me occidere valeres. Quod omnino consonat cum iis quae paulo ante Pilato dixerat : *Si ex hoc*

mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Judaeis; nunc autem Judaeis tradi me patiar, praecise quia *regnum meum non est hinc,* et per mortem meam debet illud inaugurari et in aeternum stabiliri. Non responderat primae interrogationi; jam vero satis innuit unde sit, cum ait : *nisi datum tibi esset desuper.* Peccabis me condemnando; sed multo magis peccavit Judas : *Propterea qui me tradidit tibi majus peccatum habet,* sicut et principes sacerdotum. Inde magis ac magis terretur Pilatus, et conatur Jesum e manibus Judaeorum eruere, nedum ejus responso offendatur.

Secundum punctum. — *Et exinde,* multo magis quam ante, *quaerebat Pilatus eum dimittere.* Nihil igitur profecerant principes sacerdotum, accusando Jesum quod se dixisset Filium Dei; immo inde terreri Pilatus videbatur. Terrori divino humanum terrorem opponunt, terrorem scilicet a parte Caesaris, quem sciebant apud sui ipsius amatorem atque potestatis cupidum Pilatum, divino fore efficaciorem. Igitur invalescunt, conclamant, minas intentant, ut a praeside per vim condemnationem extorqueant : *Judaei autem* clamabant dicentes : *Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris. Omnis enim qui se regem facit, contra-*

dicit Caesari. Justus esse debuerat Pilatus, etiamsi quid ipsi a Caesare fuisset timendum propter accusationes Judaeorum, juxta illud Christi ipsius effatum : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam* (Matt. 10, 28). Timore suo non se servavit Pilatus, et in eo in quo peccaverat, a Deo plexus est; nam postmodum ab iisdem ipsis Judaeis apud Caesarem accusatus, missus est in exilium, et ibidem misere periit.

Cedere tandem incipit Pilatus furori et minis Judaeorum, utque eos emolliat, tendit ad solemnem tribunalis sedem, ut finale ferat de Jesu judicium. *Pilatus autem cum audisset hos* de Caesare *sermones, adduxit foras Jesum : et sedit pro tribunali in loco qui dicitur Lithostrotos, hebraïce autem Gabbatha.* Eo enim in loco praesentes Judaei esse poterant, non autem illo die in praetorio, ut non contaminarentur, et manducarent Pascha. *Erat autem Parasceve Paschae, hora quasi sexta* : res enim fere usque ad meridiem protractae fuerant.

Conatur et nunc ultimo servare Jesum. *Et dicit Judaeis : Ecce Rex vester.* Judaeos, qui Messiam verum suum Regem, eumdemque Filium Dei sibi promissum exspectabant, commonet

Pilatus, ne forte eum sibi a Deo immissum crucifigant, multo magis pertimendum quam Caesares hujus mundi. Ast regem magnificum Judaei volebant qui splendide regnum Israel restitueret, non vero pauperem in stabulo natum et omnium honorum contemptorem. Timentes ne iterum haesitaret praeses, eum ultimo ac summo impetu aggrediuntur. *At illi instabant* et *vocibus magnis clamabant : Tolle, tolle, crucifigatur, crucifige eum.* Interdit et Pilatus vocem, ultimoque luctatur : *Regem vestrum crucifigam?* Eo momento quasi percelli timore videtur, ne sit Jesus Deus. *Responderunt,* non turba, sed *Pontifices : Non habemus regem nisi Caesarem.* Terribili hac voce Messiae renuntiabant, et Pilatum adhuc titubantem, inter horrendos clamores dejiciebant. *Et invalescebant voces eorum.* Diceres evomitum super terram totum infernum : *haec est hora vestra, et potestas tenebrarum.*

Tertium punctum. — Jesus condemnatus. Vae animae debili, quae non assuevit, vincendo semetipsam, diligere Deum Dominum suum super omnia, et in creaturis finem suum posuit! Ecce jam Pilatus pluris faciens suum principatum quam justitiam, in eo est ut maximum scelerum omnium committat. *Videns autem Pilatus quia* tot adhibitis ad servandum

innocentem industriis, *nihil proficeret sed magis tumultus fieret,* impiorum sacerdotum cedit furoribus et condemnationi consentit. Confitetur autem simul scelus suum, iterumque innocentiam Jesu affirmat. *Accepta aqua, lavit manus coram populo dicens : Innocens ego sum a sanguine justi ejus, vos videritis.* Non innocens es, injuste et infamis, qui potestatem ad reos puniendos et ad justos a furoribus malorum tuendos accepisti; frustra lavas manus, quae divino sanguine rubentes manebunt in aeternum. Terribilia omnia haec sunt. Propriam suam damnationem judex sanguine Dei subscribit; perfida autem gens Judaeorum perennem in se invocat maledictionem. *Et respondens universus populus, dixit : Sanguis ejus super nos et super filios nostros.* Et cecidit super eos : hoc praedolens atque flens praedixerat Jesus. *Videns civitatem flevit super illam, etc.* (Luc. 19, 41, sqq.). *Et super filios nostros :* haec maledictio adhucdum impletur in gente judaïca et usque ad finem saeculorum perseverabit.

Et Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorum : et *volens populo satisfacere* (quod fuit sceleris ac deicidii ejus principium) *dimisit Barabbam, qui propter homicidium et seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant; Jesum autem flagellatum, tradidit voluntati eorum, ut crucifigeretur.*

Ita et ego toties Jesu Filio Dei et Salvatori meo, quem talem esse sciebam, Barabbam praeposui, quoties mortaliter peccavi, tradens Jesum voluntati passionum mearum, ut crucifegeretur iterum in corde meo : *rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes*. Qui autem crucifixerunt Jesum non certo eum noverant : *si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent* (1 Cor. 2, 8). Mihi autem dicere potuit quoties graviter peccavi : *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique... Tu vero homo unanimis, dux meus, et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos*. Non tamen, sicut Judaeis, maledixit mihi, nec me, sicut tot alios, sicut ipsum Judam, praecipitem dedit in infernum ; sed magno cum amore ad veniam semper me recepit ac recipit. *Quid ego jam debeo facere et pati pro ipso ?*

In fine colloquium et *Pater noster*.

SECUNDUM EXERCITIUM

Comprehenditur Jesus ad supplicium

MATT. 27, MARC. 15, LUC. 23, JO. 19

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. Erit hic

quomodo condemnatus Jesus a Judaeis comprehenditur, illuditur, purpurea veste exuitur, suis induitur vestimentis, crucem suam ferens ducitur et cadit.

Secundum praeambulum, compositio loci. Erit hic videre locum ubi condemnatus est Jesus, et viam quae inde ducit ad Calvariam.

Tertium praeambulum non variatur.

Primum punctum. — *Susceperunt autem Jesum* sibi post tot labores et clamores tandem a Pilato traditum, ut quidquid vellent de eo tanquam domini facerent : *Jesum tradidit voluntati eorum. Et postquam illuserunt ei, exuerunt illum chlamyde, et induerunt vestimentis ejus.* Considera quomodo, statim ac lamentabilis prolata est sententia, satanici illi viri, seu potius tigrides sanguinem spirantes ruerint in Jesum, susceptumque a Pilato, laxatis jam violentiae frenis, ut praedam comprehenderint. Non satis erat eis quod agnus ille crucifigeretur. Antequam eat ad supplicium, ei illudunt, et quasi de parta victoria exultantes, certatim eum ludibriis, sputis, alapis affligunt. Rumor condemnationis per civitatem spargitur, et ex omni parte turbae affluunt, ut terribili crucis spectaculo spectatores intersint. Quanta inde Jesu et quam publica ignominia! Vide in turba Matrem Jesu, et re-

praesenta tibi, si potes, quid sentiat cor ejus. Vide Magdalenam plorantem, vide Apostolos. Jesus autem, peccatorum omnium generationum pondere in se ex amore assumpto, seque propterea ut maledictum existimans, *Maledictus omnis qui pendet in ligno,* se quasi infinite deprimebat et omni supplicio dignum judicabat. Hoc unum cor ejus solabatur, quod adaequate dilecti Patris sui gloriam esset reparaturus. Hinc non, sicut aliqui damnati fecere, innocentiam suam moriturus coram populo asseruit, sed *sustinuit crucem, confusione contempta,* et sicut ovis mansuetissima, non aperiens os suum, sivit trahi se ad mortem. Sensit nihilominus, sicut nos sentimus, sensit ultra id quod imaginari possumus, et exhorruit instantem jam mortem crudelissimam: *humiliatus sum et conturbatus. In me transierunt irae tuae, et terrores tui conturbaverunt me* (Ps. 87, 17). *Circumdederunt me dolores mortis : et torrentes iniquitatis conturbaverunt me. Dolores inferni circumdederunt me, praeoccupaverunt me laquei mortis* (Ps. 17). Sed omnia superavit et vicit amor.

Ultimo supplicio praemittitur funebris morituri cultus; praeparatur et instruitur ad mortem Jesus. *Exuerunt eum chlamyde, et induerunt vestimentis ejus,* ad ignominiam videli-

cet, ut ab omnibus qui eum noverant agnosceretur; nec ignominiae dolor defuit, cum a vividis plagis adhaerens purpurea vestis cum effusione sanguinis detracta est.

Adfertur, plaudentibus principibus sacerdotum, crux immanis, instrumentum supplicii, quae humeris Jesu flagris ad ossa usque dilaniatis cum immenso dolore imponitur. Dilectum hunc Isaac respice viribus et sanguine exhaustum, ac lignum in quo moriturus est propriis humeris ferentem; respice quoque divinum Patrem, tum gladium justitiae ferentem, quo Unigenitum suum propter peccata nostra feriet, tum ignem amoris, quo peccata omnia super lignum consumentur.

Secundum punctum. — Itus ad Calvariam. Contemplare turbam a pontificibus ad odium et furorem concitatam; aliqui ceteris immixti sequuntur taciti, tristes, lacrymabundi. Contemplare deridentes et atroces Judaeorum satellites circumdantes Jesum, lupos Agnum Dei mansuetum; contemplare Jesum, eique compatere. Noctem integram insomnem inter verbera, alapas, injurias transegit; maximam sanguinis sui partem in agonia, in flagellatione, in coronatione, in detractionibus vestium amisit. Cerne ut debilitatis et fractis viribus, trementibus genibus, facie cruenta,

crudelem coronam capiti infixam retinens, corde saevissimis angoribus dilacerato, corpore sub immani cruce miserandum in modum incurvo, oppressus incedat. Vesani vero ac feri corde satellites eum impellunt ad mortem, raptant, crudeliter pugnis, verberibus, calcibus, tanquam vile jumentum percutiunt.

Vixdum incepit Jesus lamentabile illud iter, et ecce fatiscens labitur crucis pondere oppressus; rursus labitur haud multo post; labitur tertio, ut tot meos expiet in peccata relapsus. Eum tortores tractibus, calcibus ad surgendum excitant eique iracundi insultant, nedum ejus misereantur; tacet Jesus, illosque benigno ac misericordi oculo respicit. Quis tam amantem non redamet? Quis tanta pro se patientem non amplectatur? *Quid ego debeo facere et pati pro illo?*

Tertium punctum. — Simon Cyrenensis. *Et cum ducerent eum,* funibus trahentes ut jumentum, vi *apprehenderunt Simonem quemdam venientem de villa. Hunc angariaverunt,* (scil. coegerunt publicae utilitatis gratia) *ut tolleret crucem ejus, et imposuerunt illi crucem portare post Jesum.* Quam sedulo dicunt Evangelistae *apprehenderunt, angariaverunt* et *imposuerunt,* ut intelligatur non voluntarie, sed coacte crucem

suscepisse Simonem! Suscepit tamen, et quamvis invitus eam susceperit, insignem tamen fructum inde collegit, scilicet et sibi et filiis suis Rufo et Alexandro, in Ecclesia celeberrimis, donum et coronam Sanctorum : adeo etiam ei, qui initio accepit invitus, crux est proficua? Quot miseri lugent in inferno, aeternumque lugebunt, qui si pro periculosa divitiarum, honorum, voluptatum prosperitate, afflicti adversitate et calamitate fuissent, perpetua felicitate et gloria fruerentur! *In cruce salus,* nec alia via ad caelum perducit quam via crucis, quoniam per multas tribulationes oportet intrare in regnum Dei. Hanc viam post Jesum tenuere, in primis Virgo Virginum quae ut est Mater Jesu, ita est et Regina Martyrum; dein Apostoli, innumeri Martyres et quotquot inter Caelites recensentur. Ideo Jesus, sicut crucem primus ipsemet portavit et Simoni dein tradidit, ita et omnibus dilectis suis eam tradidit et tradet usque ad finem mundi. *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te.*

Multi generis cruces sunt. Crux sunt morbi, persecutiones, res adversae, fortunarum eversio, calumniae, sinistrae interpretationes, injuriae, reprehensiones, luctus et tristitiae, atque super omnia tentationes sive infideli-

tatis, sive desperationis, sive odii, sive derelictionis internae, sive luxuriae. Ne igitur, cum talia tibi contingunt, contristeris; non enim tibi officient, immo et supra et contra id quod putas, tibi crux proficiet, modo de manu Jesu, sicut Simon, eam accipias, ac te ei percutienti quidem, sed amantissimo integre committas. Nescis tu quid tibi prosit, scit autem Jesus et amat te. Ne suspicabatur quidem Simon quanta ei pro perlata cruce sua Jesus reservaret; ita et tu, dum inter adversas tempestates obscurus versaris, quid per cruces tuas praeparet tibi Cor Jesu, non suspicaris.

S. Alphonsus Rodriguez, desolationes et cruces praeoptabat, nedum consolationes caelestes optaret aut quaereret. Solebat quippe dicere consolationes, visiones similiaque charismata ex una parte formidandum vanitatis ac propriae complacentiae periculum continere, ex altera vero dona illa, nec in hac, nec in altera vita quidquam mercedis habitura; cruces e contra virtutem in hoc mundo parere, in caelo vero maximam perpetuamque felicitatem et gloriam.

In fine colloquium et *Pater noster*.

TERTIUM EXERCITIUM

Reliqua viae crucis adjuncta

Luc. 23

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. Erit hic, quomodo, juxta traditionem, incedenti Jesu occurrerunt Mater sua dolorosa, et pia mulier dicta Veronica; et juxta Evangelium, sanctae mulieres, quibus flentibus Jesus dixit : *Nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros.* Ubi vero pervenit Jesus ad locum supplicii, oblatum ei est myrrhatum vinum.

Secundum praeambulum, compositio loci. Erit hic viva imaginatione viam videre et locum crucifixionis, Calvariam dictum, quia ibi multa necatorum malefactorum calvaria conspiciebantur.

Tertium praeambulum non variatur.

Primum punctum. — Sequebatur Jesum multa turba; alii, scilicet plerique, ut spectaculo dolorum et opprobriorum ejus delectarentur, et ei insultarent; alii, ut eum crucifigerent; alii ut suae satisfacerent curiositati; alii, iique perpauci, ut ei condolerent. Hos inter adfuere sanctae mulieres, atque in primis Mater Jesu dolorosa.

Considera divam Matrem, conspecto in via sanguine Filii, findentem paulatim turbam, et accedentem ad conspectum Jesu. Ad mutuum respectum sublevat et Jesus caput oculosque. Quam dolorosus fuit ille Matris et Filii occursus! Considera, si potes, quam triste, quam acerbum Virgini Matri fuerit, videre unicum suum Filium simul ac Deum afflictissimum, vulneribus confossum, sanguine manantem, sub pondere crucis incurvatum, inter latrones, tanquam ipsis pejorem, incedentem, immaniter a ministris tractum et inter applaudentis populi clamores verberatum! Quis ejus animam gladius pertransiit, cum faciem illam vidit olim pulcherrimam, quam tanto cum amore ac reverentia ardebat aspicere, nunc cruore, plagis ac sputis deturpatam; cum sacrosanctum ejus caput respexit, materno suo pectori millies applicatum, nunc horribili corona confixum et scaturiens sanguine? Haec intus recole, et ingredere Cor Jesu et Cor Mariae. *Quis non posset contristari, Christi Matrem contemplari, dolentem cum Filio?* Ita contristari, magna Dei gratia est; gratia autem petenti conceditur, at non petenti solum, sed et laboranti. Igitur puncti quarti S. P. N. memineris : *Et hic incipere magno nisu et conari ad dolendum, tristandum et plangendum.*

Memineris quoque conatum illum Domino gratiosiorem esse quam ipse affectus sensibilis.

Considera et aliam foeminam piissimam, cui Veronicae nomen est. Cum enim transeuntis Jesu faciem vidisset sanguine, luto ac sputis foedatam, ad eum accessit, atque amoris fortitudine ministrorum formidinem vincens, linteo vultum Christi abstersit. Vide jam quantum sit Deo grata affectuosa erga Passionem memoria : in linteo illo Christus veram sui imaginem expressit.

Secundum punctum. — *Sequebatur autem illum multa turba populi, et mulierum, quae plangebant et lamentabantur eum* (quae verba ea ipsa sunt quae in quarto puncto adhibet S. Ignatius). De turba illa magna nemo est qui plangat ac lamentetur, praeter mulieres illas. Etsi tam horrenda pro nobis passus est Jesus, pauci admodum sunt qui tantos ejus dolores, tantas ejus ignominias sentiant et plangant. Pudeat quidem viros, quod eos plerumque foeminae amore et compassione erga Christum patientem tam facile superent. Neque dicant sensibus illis solidas praestare virtutes; nam, etsi praestant virtutes, quam saepe nec virtutes nec sensus illi habent! Unde in tot Virginibus, in sororibus charitatis, in parvis pauperum sororibus et aliis innumeris heroïca illa fortitudo,

nisi ex eo quod cum magna simplicitate et devotione erga Christum tenerrime et ardentissime afficiantur? Idcirco S. Fundator, qui solidas virtutes tanti faciebat et suis tantopere commendabat, voluit ut in contemplatione Passionis magno nisu conaremur ad tristandum, plangendum et lamentandum. Aliud enim est sentire amorem Christi ejusque dolores, aliud caelestibus affluere deliciis, ecstases pati ac donari visionibus.

Moveri se sanctarum mulierum planctu et lamentatione ostendit Jesus; nam ad eas conversus est, easque cum miseratione est allocutus. *Conversus autem ad illas, dixit Jesus : Filiae Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete et super filios vestros.* Tale est Cor Jesu : nostris movetur doloribus, non suis.

Quoniam ecce venient dies in quibus dicent : Beatae steriles, et ventres qui non genuerunt, et ubera quae non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus : Cadite super nos; et collibus : Operite nos. Quia si in viridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet? Vix non adhuc judaïca illa imprecatio resonabat in auribus : *Sanguis ejus super nos et super filios nostros,* et ecce jam iisdem fere verbis Christus maledictionis istius adimpletionem denuntiat : *Super vos ipsas flete et super filios vestros.* Cum gens ipsa ut talis, repulsa

Dei gratia, Filium Dei et promissum sibi Servatorem repulerit; cumque, postquam missos a Deo prophetas interfecit, interfecerit et haeredem ipsum, aeterni Patris Filium, maledictionem tota gens accipiet. Non tamen eodem modo omnes punientur. Omnes quidem suae gentis eversionem atque infanda mala temporalia patientur; sed alii, ii scilicet qui Christo mortem intentarunt, ut maledicti, in bonis suis, in corporibus suis, in animabus suis torquebuntur, et nisi convertantur, suppliciis deputabuntur aeternis; alii vero, innocentes Christique discipuli aeternae felicitati addicti, per mala temporalia aeternam sibi gloriam comparabunt : *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Quantis vero malis sub Tito et Vespasiano romanis imperatoribus Judaei objecti fuerint, horrendum est dicere; sed quid haec, si cum eorum caecitate, obduratione et aeterna perditione comparentur?

Incipient dicere montibus : Cadite super nos. Re quidem vera, ita factum est, cum relictis omnibus, Judaei fugerunt cum filiis suis in montium speluncas, ut Romanorum gladiis se subducerent. At quanto atrociori cum desperatione Judaei illi, necnon et impoenitentes omnes peccatores, clamabunt, in ultimo judicio, *montibus : Cadite super nos, et collibus : Operite nos!*

Prae ceteris autem illi ululabunt qui, ut sacerdotes, ut religiosi aliique copiosioribus gratiis ac donis a Deo ornati, praecelsam vocationem suam abjicientes, cum damnatis in aeternum peribunt! *Horrende et cito apparebit vobis : quoniam judicium durissimum his, qui praesunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia : potentes autem potenter tormenta patientur* (Sag. 6, 7). Quid de me fiet, si post insignem praesentium Exercitiorum gratiam ac tot alia divinae Bonitatis charismata, aeternam (quod Deus avertat!) damnationem incurram? *Quia si in viridi ligno,* scilicet in Christo, innocente et sanctissimo, qui aliena, non sua, tulit peccata, *haec faciunt; in arido,* scilicet in Judaeis qui tot acceptis gratiis fructum non fecere, et in Christianis tot a Deo favoribus ditatis, et multo magis in sacerdotibus et religiosis damnatis *quid fiet?* Terribilis quidem Christi passio fuit, sed multo terribilior passio aeterna damnatorum existet. Cave igitur tibi : ne in vacuum gratiam Dei accipias. Audi Paulum ad Hebraeos (6, 7) : *Terra enim saepe venientem super se bibens imbrem, et generans herbam opportunam illis a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo. Proferens autem spinas, ac tribulos, reproba est, et maledicto proxima : cujus consummatio in combustionem.*

In fine colloquium, et *Pater noster.*

Tertium exercitium, repetitio trium hujus diei exercitiorum.

Quartum exercitium, sensuum ad eadem applicatio.

Septima dies

PRIMUM EXERCITIUM

Jesus crucifixus

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. Erit hic, quomodo dederunt Jesu vinum myrrhatum ante supplicium; deinde eum vestibus exuerunt, cruci clavis affixerunt, dicentem : *Pater, dimitte illis;* tandem elevaverunt crucem Jesu, inter duos latrones pariter crucifixos, titulo posito supra caput ejus : *Jesus Nazarenus, Rex Judaeorum.*

Secundum praeambulum, compositio loci. Erit hic videre visu imaginationis montem Calvariae et locum ubi crucifixus est et ubi pependit Jesus.

Tertium praeambulum non variatur.

Primum punctum. — *Et postquam venerunt, dederunt ei bibere myrrhatum vinum cum felle mistum; et cum gustasset, noluit bibere.* Gustavit, ut pateretur amaritudinem sentiens; noluit

autem exhaurire, ne dolores crucifixionis minueret, et ut ostenderet voluntarie se tormenta amplecti omnia. Mos erat, qui hucusque permansit, ut ad supplendas vires et ad solatium, cibus et potus quem optasset, morituro daretur. Mos ille et erga Jesum servatus est, non autem ad solatium, sed ad odium sacerdotum explendum et ad crudelitatem. Obtulerunt ergo crucifigendo Jesu, non simplex vinum, sed myrrhatum foetidoque et amaro felle mixtum, irridentibus et gaudentibus inimicis Christi. Sciebat Jesus quid sibi propinaretur; illud nihilominus gustavit, tum ut confusioni propriae, coram ridentibus sacerdotibus et ministris, faveret, quasi deceptus; tum ut in gustu, sicut et in ceteris sensibus omnibus pateretur; tum ut delectationem quam in gustando fructu vetito Adam quaesierat, expiaret; tum ut omnia gulae peccata et ebrietatis lueret; tum denique ut et ipsis martyrii sui auctoribus ad mortem usque obediret. Graviter quidem ex detestabili illo potu affectus est gustus Jesu, sed multo magis ex tanta crudelitate passum est Cor ejus. Sic impletae sunt Scripturae : *Dederunt in escam meam fel* (Ps. 68), et : *Recordare paupertatis meae, absynthii et fellis* (THREN. 3, 19).

Sic Judaei, dum suam perfidiam et impietatem consummabant, ingrati sui animi cumulum addiderunt. *Cibavit populum suum ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos :* et en pro frumento acerbam myrrham, et pro melle fel amarissimum Domino praebuere. *Ego te potavi aqua salutis de petra : et tu me potasti felle et aceto. Populе meus, quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi* (OFF. IN PARASC.). Quid autem, dum ita Christum illudebant impii sacerdotes, sensit Virgo Mater, quae Filio suo dulcissimum lac sugendum dederat?

Multoties me Jesus, non manna et aqua de rupe, sed pane sacratissimi Corporis et potu pretiosi Sanguinis sui satiavit : quoties autem ingratus ego Jesum myrrha et felle mortalium peccatorum meorum saturavi! *Incrassatus est dilectus, et recalcitravit : incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari suo* (DEUT. 32, 15). Quanto majora mihi concessa sunt a Deo in Nova Lege beneficia, quanto manna ipso pretiosiora dona sunt Corpus et Sanguis Christi : tanto magis Judaeorum perversitatem superat ingratitudo mea erga Servatorem meum, Dei Filium.

Considera quid tu, in materia cibi et po-

tus, facere et pati debeas, postquam felle et aceto Dominus tuus potatus est.

Ultima ad supplicium praeparatio, eaque tormentis ipsis Cordi Jesu crudelior, fuit, coram omni populo et coram procacibus et impudicis militibus, corporis ejus sanctissimi denudatio. Sanguinem ex laceratis per detractionem vestium vulneribus toto corpore manantem conspice. *Vidimus eum, et non erat aspectus. Dilectus meus candidus et rubicundus.*

Secundum punctum. — *Ibi crucifixerunt eum.* An fuerit Christus in reclinata, vel in erecta jam et fixa cruce affixus Christus, disputant Auctores; prior sententia communior esse videtur, et in depictis tabellis vix non semper est in usu. Nec concordant quoad numerum clavorum. Alii dicunt fuisse tres, alii quatuor; inter eos qui quatuor tenent, alii censent singulos singulis pedibus fuisse infixos, alii cum revelatione S. Birgittae dicunt utrumque pedem duplici clavo fuisse perforatum. Verior videtur opinio quod tres tantum clavi fuere, quorum tertius utrumque pedem confixit. Clavi illi, sat spissi ac formae quadratae in obtusum acumen vergentis, magnum ac rotundum cuspidem habent suntque longissimi, ut Romae videre est in basilica

S. Crucis. Ex his patet eos ad ciendos dolores acutissimos fuisse adaptatos.

Contemplare locum crucifixionis ignominiosissimum, calvariis et ossibus interfectorum malefactorum et aliis civitatis immunditiis inquinatum. Ibi vitam exhalare voluit qui est in stabulo natus. Contemplare crucem humi jacentem et magnam circumstantem sacerdotum, ministrorum, militum, plebeiorum judaeorum multitudinem : quorum singuli, crucifixionis Jesu spectaculum sitientes, turbam rumpere tentant, ut proxime adsint. Contemplare eorum, ac maxime principum sacerdotum et seniorum vultus, sanguinem et feritatem, capta praeda, spirantes. Amici Jesu et sanctae mulieres cum dolorosa Matre a longe stant. Respice Jesum, in medio rabidorum luporum, sola plagarum suarum et effusa sanguinis sui purpura indutum, stantem mansuetissime, sed imminentes terribiles dolores cum ingenti cordis fremitu praesentientem.

Ubi parata sunt crux, clavi, chordae et malleus, Jesum quatuor milites crucifixores crudeliter apprehendunt, jubentque super crucem decumbere. Humiliat se Dei Filius et fit obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, caelumque respiciens offert semetipsum Patri, et brachia ad clavos suscipiendos ipse

extendit. Oculis imaginationis sequere illas confixiones in partibus corporis maxime, propter concurrentes ibidem nervos, sensibilibus, et continuo crescentem cum confixionibus infandum dolorem, quantum fieri potest, intellige. Ubi enim prior manus confixa est, altera cum brachio, propter nervorum contractionem et torsionem, vehementer in oppositam partem convexa est, ita ut ad foramen suum non nisi ope funium, cum nervorum fractione et ossium luxatione, dolorisissima vi, reduci potuerit. Crudelior multo fuit utriusque pedis confixio. Nam corpus totum post manuum perforationem, convulsione nervorum, cum universali et incredibili contractione versus caput retractum fuit; ut autem retractio illa corrigeretur, frangi ac distendi nervi et ossa quassari ac e locis suis dimoveri debuere. Tunc prophetia illa Davidica impleta est : *Dinumeraverunt omnia ossa mea*. Quantus autem inde fuerit in toto corpore dolor, nemo praeter Jesum scire potuit. Haec, ut sensuales meas delectationes expiaret, passus est. Audivit Mater dolorosa singulos malleorum ictus. *Sancta Mater, istud agas : crucifixi fige plagas cordi meo valide* (Div. Offic.).

Tertium punctum. — Milites crucem apprehendunt, elevant, et in fossam ad id paratam

sinunt cadere. Considera personas : inimici Jesu, crudeli cum gaudio, irridentes ac triumphantes crucifixum respiciunt; quomodo autem respiciunt ejus amici, Maria Magdalene et Mater dolorosa? Quid haec sensit, cum singuli malleorum ictus in cuneos, ad firmandam in solo crucem positos, simul ossa, nervos, vulnera, totum corpus Jesu cum cruce concuterent? Contemplare et considera Jesum nudum, vulneribus confossum, sanguinis sui purpura undique coopertum. Manuum ac pedum ejus vulnera totius suspensi corporis pondere lacerantur, dilatantur, ac rivos sanguinis emittunt; oculi, os, vultus, crines Jesu concreto sanguine rubescunt. *Dilectus meus* per exsanguem pallorem *candidus et* tinctura sanguinis *rubicundus*. Ecce brachia extendit ad amplexandum me, peccatorem; inclinat caput ad osculandum me, crudelem suum tortorem.

Non maledicit, non ulciscitur, non gemit, sed conversus ad Patrem, pro suis crucifixoribus orat Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi : *Pater, dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt*. Fructum ex verbis illis collige. *In hoc enim vocati estis : quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus. Qui peccatum non fecit, nec*

inventus est dolus in ore ejus : qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur : tradebat autem judicanti se injuste : qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum : ut peccatis mortui justitiae vivamus : cujus livore sanati sumus (I PETR. 2, 21, SQQ.).

Considera abyssum quasi infinitum humiliationis in quam Filius Dei demergitur : nudus exponitur coram insolente et irridente turba ex omni gente collecta; maledictus qui pendet in ligno; inter duos latrones velut ipsis sceleratior Jesus extinguetur. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*

Lege supra caput ejus causam ipsius scriptam : *Jesus Nazarenus, Rex Judaeorum. Jesus* est; ergo et effuso sanguine, ut me salvaret, debuit mori. *Nazarenus,* id est floridus et sanctus; ergo in arbore crucis mori debuit, ut virtutum, patientiae, charitatis, humilitatis flores acervatim emitteret; sanctus est; unde non pro suis, sed pro alienis peccatis moritur : *Justificabit servus meus justus multos, et iniquitates eorum portabit* (Is. 53, 11). *Rex* est, non temporalis, ut intelligebant Judaei, sed caelestis ac divinus, cujus thronus crux est : *Regnavit a ligno Deus;* cujus subditi omnes animae sunt. *Regnum meum non est de hoc*

mundo. Si ergo cum ipso regnare volo, debeo et ipse cum eo inter dolores et opprobria crucifigi. Rex est Judaeorum, quamtumvis ipsi nolint : *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion, montem sanctum ejus, praedicans praeceptum ejus* (Ps. 2, 6).

Et erat scriptum hebraice, graece et latine : regnum enim ejus super omnes gentes : *Omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster Jesus Christus in gloria est Dei Patris* (PHIL. 2. 11.)

Quem igitur volebat Deus titulum, scripserat Pilatus. Sentientes autem illo se titulo condemnari perfidi Judaei, Pilatum adivere : *Dicebant ergo Pilato Pontifices Judaeorum : Noli scribere : Rex Judaeorum; sed quia ipse dixit : Rex sum Judaeorum. Respondit Pilatus : Quod scripsi, scripsi.*

In fine colloquium cum eo quem in Regem elegisti, et *Pater noster*.

SECUNDUM EXERCITIUM

Jesus in Cruce

MATT. 27, MARC. 15, JO. 19

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. Erit hic quomodo milites diviserunt sibi vestimenta

Christi Domini; praetereuntes autem et scribae et seniores blasphemabant Jesum, eique irridentes insultabant; Jesus autem bono latroni condonavit peccata sua, et dixit Matri suae de Joanne : *Ecce filius tuus,* et Joanni : *Ecce mater tua.*

Secundum praeambulum, compositio loci. Erit hic videre locum crucifixionis.

Tertium praeambulum non variatur.

Primum punctum. — Quid milites, quid principes fecere, dum pendebat Jesus in cruce? Nullum amplius ei dolorem infligere poterant. Quid enim superaddere potuissent? *O vos omnes qui transitis, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus.* Poterant tamen adhuc opprobriis et subsannationibus patientem et morientem saturare; id ad ejus mortem usque fecere.

Tu qui in contemplatione de Regno Christi, Christo dixisti : « volo et desidero, et » mea haec est determinatio deliberata, imi» tari te in ferendis omnibus injuriis, et omni » vituperio, et omni paupertate », veni et vide.

Vide morientis Jesu paupertatem, matrem illam opprobriorum. In stabulo, etsi viles, pannos tamen habuit; in cruce suis omnibus vestibus spoliatur, solamque habet pro lecto

crucem; cibus ejus fel; et potus, acetum. Ubi insignis aliquis malefactor crucifixus fuerat, statim tortores milites arrepta ejus vestimenta ipso in loco inter se dividebant. *Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus (et fecerunt quatuor partes : unicuique militi partem), et tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad invicem. Non scindamus eam, sed sortiamur de illa, cujus sit. Ut Scriptura impleretur dicens : Partiti sunt vestimenta mea sibi : et in vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem haec fecerunt.* Et haec sub oculos morientis Jesu quasi laetantes et ei irridentes fecerunt. Fecerunt et coram Matre Jesu. Considera quomodo fuerit cor Matris dolorosae vulneratum, cum vestes illas, quas tanto cum amore contexuerat, nunc Filii sui sanguine intinctas in manus ludentium et gestientium tortorum incidere vidit. « *Tunica filii mei est, fera pessima comedit eum, bestia devoravit Joseph* (Gen. 37). Quanto major divae Matris dolor pro Unigenito Filio ac Deo suo!

Quid plebeii fecere? *Et praetereuntes blasphemabant eum, moventes capita sua,* in signum vituperii, quasi nunc infamem agnoscerent deceptorem, *et dicentes,* adhibita gaudii simul et irrisionis voce : *Vah! qui destruis templum Dei, et in tribus diebus reaedificas : salvum fac*

temetipsum descendens de cruce. Ita ei qui suam, ad sustinenda opprobria, abscondebat Divinitatem, irriserunt; ita eum subsannaverunt, qui vulneribus pro eorum salute confossus et manus pedesque confixus, intolerabilibus tormentis cruciabatur. Quis feram ipsam patientem tanta cum crudelitate tractaret? Qui vero ita accipiebatur, bonus ille erat Jesus qui pertransierat benefaciendo. *Populo meus, quid feci tibi? aut in quo contristavi te? Responde mihi.*

Saeviora et acutiora jacula in Jesum emisere principes sacerdotum, Scribae et seniores, irridentes. *Similiter et summi sacerdotes illudentes,* ac miracula Christi explodentes, *ad alterutrum cum Scribis dicebant : Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.* Alludentes autem regno Christi, dicebant : *Christus rex Israel descendat nunc de cruce, ut videamus, et credamus.* Quid de nobis factum esset, si descendisset? Nesciebant Jesum regnum suum non aliter stabiliturum quam moriendo in cruce. *Regnavit a ligno Deus.* Non aliter et nos quam inter crucis opprobria cum Christo regnabimus. Cumulum autem suae impietati ac perfidiae irridentes addiderunt, dicentes, quasi Deus ipse eum condemnaret ac irrideret : *Confidit in Deo : liberet nunc, si vult eum : dixit enim : quia Filius Dei sum.*

Secundum punctum. — *Idipsum autem et latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.* Quorum prior impietatem suam ad mortem usque produxit. *Unus autem de his qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum dicens : Si tu es Christus, salvum fac temetipsum et nos.* Dubitabat impius ille de Divinitate Christi, et nihilominus ei insultabat ; de aeterna quippe vita ac de Deo nihil sollicitus, perversus ille temporalem tantum vitam cupiebat. Alter vero non ita. Conspiciens divinam patientiam Jesu ac mansuetudinem Cordis ejus, ad fidem Divinitatis venit, ac de aeterna solum salute sollicitus orat Dominum. Vir ille, etsi scelestus, tunc saltem recto corde processit. *Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde* (Ps. 72, 1)! Illico et fidei et charitatis dono mutatus, Christum non solum esse Deum agnoscit et credit, sed et eum cum admiratione et amore defendit. *Respondens autem alter increpabat eum, dicens : Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es? Et nos quidem juste, nam digna factis recipimus : hic vero nihil mali gessit.* En omnia perfectae conversionis signa : scelera sua humiliter confitetur, de eis dolet ex amore atque in expiationem mortem suscipit. Conversus dein ad Dominum Jesum, ab eo ut a Deo, cum mirabili humilitate et

fiducia veniam petit et vitam aeternam. *Et dicebat ad Jesum : Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum. Memento mei,* hoc tantum, propter humilem sensum peccatorum suorum. *Et dixit illi Jesus : Amen dico tibi : hodie mecum eris in paradiso,* quia videbis in limbis gloriam meam. Post hoc, quis desperet? Quis misericordiae Cordis Jesu cum humilitate ac fiducia non se committat? Hujus misericordiae etsi testis, alter latro non se convertit. Adeo execranda superbia est, quae, sicut omnium vitiorum, ita et impoenitentiae mater est!

Tertium punctum. — *Stabant autem juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus Maria Cleophae, et Maria Magdelene.* Stabat et Joannes. Stabant et alii, sed a longe. *Stabant autem omnes noti ejus a longe, et mulieres, quae secutae eum erant a Galilaea, haec videntes.* Sicut sub cruce fideles amicos habuit, ita et semper habebit, quibus dicet : *Vos amici mei estis.* Felices illi qui cum Christo *permanent in tentationibus suis!*

Contemplare hic lamentabile personarum spectaculum : Christum, quo eheu in statu! pendentem in cruce, stantes Joannem, Mariam Cleophae, imbre lacrymarum pedes Jesu rigantem Magdalenam, stantem et Matrem do-

lorosam. Audi eorum, non verba, sed gemitus et singultus, dum vident Pontifices et seniores blasphemantes et subsannantes morientem Agnum Dei.

De quibusdam Sanctis Deo dilectissimis legitur, quibus Christus aliqua ex parte dolorum suorum sensum impressit, quod in eo fuerint, ut prae ingentis doloris sensu, vix non animam exhalarent. Inde conjice quantum fuerit Matris dolorosae juxta crucem stantis martyrium. Si enim Deus animas, pro amore quo eas prosequitur, Filio suo crucifixo conformes in afflictione facit, quam partem dolorum Virgini Matri impertitus est, quam super omnes Sanctos simul et Angelos diligebat! Continuo per longam cum Jesu cohabitationem amor Mariae erga ipsum in immensum creverat. Porro, quo plus eum amabat, eo etiam plus doluit, cum vidit eum vulneribus confossum et intolerabiles cruciatus in cruce sustinentem; cum eum vidit illo ipso tempore quo tam horribilia tormenta patiebatur, blasphematum, contumeliis, irrisionibus, odiis saturatum. Praeterea erat Mater ejus... Ipse autem ejus unigenitus, ejus Deus, ejus Servator, infinite bonus, et infinito amore dignus. De ea figurate in Prophetiis dictum fuerat : *Plorans ploravit in nocte, et lacrymae ejus in maxillis ejus;*

non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus... Posuit me desolatam, tota die moerore confectam... Cui comparabo te? vel cui assimilabo te, filia Jerusalem? Cui exaequabo te, et consolabor te, Virgo filia Sion? Magna est enim velut mare contritio tua : quis medebitur tibi?.. Vide, Domine, quoniam tribulor, conturbatus est venter meus : subversum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum; foris interficit gladius, et domi mors similis est (THREN.). Hunc gladium et similem morti Christi mortem praedixerat Virgini Matri Simeon : *et tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit.*

Non suos tantum, sed et dilectissimae Matris suis similes dolores Christus persensit. Quare, ne eam viduam, filio orbatam, derelictam et desolatam nimis desereret, illum ei dedit in filium, qui et ipse Virgo erat et in ultima cena, propter specialem amorem, caput suum supra pectus Domini, quasi inde filialem concepturus pietatem, recubuerat. Hoc ultimum fuit morientis Jesu testamentum. *Cum vidisset ergo Jesus matrem, et discipulum stantem quem diligebat, dicit matri suae : Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo : Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.* Sic non Joannem tantum, sed et nos omnes, juxta Ecclesiae sensum, Matri suae dedit in filios :

non relinquam vos orphanos. Pepererat in gaudio Maria primogenitum suum, at quam crudeliter in ea, cum sub cruce peperit, edictum istud Dei impletum est : *In dolore paries filios* (GEN. 3, 16). Tu, *gemitus Matris tuae ne obliviscaris* (ECCLI. 7. 29). Sancta Mater, crucifixi fige plagas cordi meo valide.

In fine colloquia, et *Pater noster*.

TERTIUM EXERCITIUM

Jesus in cruce

MATT. 27, MARC. 15, LUC. 23, JO. 19

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. Erit hic, quomodo a sexta fere hora factae sunt in universam terram tenebrae usque ad horam nonam; quibus evanescentibus, dixit Jesus : *Sitio — Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? — Consummatum est — Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. — Et haec dicens, expiravit.*

Secundum praeambulum, compositio loci. Erit hic vivide videre, quasi praesens adessem cum Matre dolorosa, Calvariae montem.

Tertium praeambulum non variatur.

Primum punctum. — Statim atque Matri

Jesus testamentum indixerat, *ab hora fere sexta, tenebrae factae sunt in universam terram usque in horam nonam,* id est per tres circiter horas.

Dixerat Jesus hostibus suis in monte Oliveti : *Haec est hora vestra et potestas tenebrarum;* harum inferni tenebrarum tenebrae illae imago fuerunt. Dum pontifices et seniores Christo certatim insultant, ecce, quae misericordia Dei iterum est, subitis ac miraculosis tenebris mons Calvariae, Jerusalem, universa terra obvolvitur. Territi hostes Christi plerique civitatem repetunt, postquam jusserunt quatuor milites servare Crucifixum : *Et sedentes servabant eum.* Dum nudus pendebat ille qui Sol divinae justitiae est, noluit Deus eum diutius in spectaculum et in opprobrium impudicis illis senioribus dari, et quoniam hi Deum Salvatorem non tantum abjecerant, sed et subsannationibus ac crudelissimae morti atrociter devoverant, ipsa natura irrationalis lugubrem tenebrarum luctum induit : *Factae sunt tenebrae in universam terram.* Testis tenebrarum illarum in ipsa Graecia Dionysius, qui de Christo nihil adhuc audierat, exclamavit : « Aut natura dissolvitur, aut naturae Auctor patitur. » Judaei vero et ipsi territi sunt, sed coram tanto miraculo non sunt conversi, ideo-

que velamen, cujus tenebrae illae figura erant, ad finem usque mundi non auferetur ab oculis eorum, donec in exteriores, aeternas quidem illas, tenebras praecipites agantur. Eo tandem venit ingratissimus ac perfidus populus ille, quem tantopere Deus adamaverat et incredibilibus donis et gratiis per tot saecula fuerat prosecutus. Abusum divinarum gratiarum pertimesce. Audi Christum : *Vae tibi, Corozain, vae tibi, Bethsaida : quia, si in Tyro, et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent. Verumtamen dico vobis : Tyro, et Sidoni remissius erit in die judicii quam vobis. Et tu Capharnaum, numquid usque in caelum exaltaberis? Usque in infernum descendes, quia, si in Sodomis factae fuissent virtutes, quae factae sunt in te, forte mansissent usque in hunc diem. Verumtamen dico vobis, quia terrae Sodomorum remissius erit in die judicii, quam tibi* (MATT. 11, 21, SQQ.).

Accede tu, dum omnia, faventibus tenebris, tranquilliora sunt, ad morientem Jesum, et in miraculosa illa nocte, sta coram cruce. Contemplare in tenebris astantes cruci Matrem dolorosam sanguine Filii sui respersam, Joannem, Magdalenam, sanctas mulieres, amicos alios Christi, lugubre omnes silentes et flentes. Contemplare Jesum atrociter in silentio

patientem, vix non totum exsanguem, pallore mortis jam obductum : *Dilectus meus candidus et rubicundus,* incredibiles suos dolores intra se comprimentem. Contemplare lacrymas ejus et deficientes oculos. En quomodo Divinitas *sinit sanctissimam Humanitatem pati tam crudelissime*. Et haec omnia patitur pro peccatis meis et ad exemplum. *Quid ego debeo facere et pati pro illo?*

Secundum punctum. — Post tres horas tenebrarum, iterum, scilicet cum Christus jam-jam erat moriturus, dies illuxit. Quantum B. Virgo et stantes alii juxta crucem commoti sunt, cum exsanguem Jesum ac moribundum conspexere! Respice et tu quem amas et qui amat te.

Habitum est tunc quartum Christi verbum. Et circa horam nonam clamavit Jesus voce magna, dicens : *Eli, Eli, lamma sabacthani? hoc est : Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Hoc fuit culmen dolorum Christi; nihil in tota Passione crudelius et lamentabilius. Quid enim filio inter horribiles cruciatus morienti crudelius, quam ab omnibus et a Patre ipso suo sine ulla miseratione derelinqui? Quid ad scindendum, ad rumpendum cor potentius? Apostoli, relicto eo, fugerunt; Petrus eum negavit, Judas eum tradidit; dilectus ejus po-

pulus ad supplicium crucis eum postulavit; sacerdotes dentibus in eum fremunt, de tormentis ejus rident eique atrociter insultant; Matrem suam Joanni donavit, et ecce dum, ut hominum sceleratissimus, moritur in cruce, Pater ejus, nedum sit ipsi auxilio aut solatio, in eum, ut maledictum propter peccata nostra, justitiae ac indignationis fulgura immittit! *Deus meus :* Deum vocat, utpote, juxta humanam naturam, ejus creatura; *ut quid* innocentem me, me filium tuum *dereliquisti?* Haec vera Divinitatis absconsio est, de qua S. P. in quinto puncto.

Cur ad hunc doloris et derelictionis excessum Christus pertingere voluit? 1. Ut summum suum in nos amorem testaretur, quo, ut nos Patri suo reconciliaret, Patrem ipsum sibi infensum fecit. 2. Ut inde sciremus quam odibilia peccata nostra Deo sint. 3. Ut dolore illo acutissimo gratiam sustinendi desolationes nobis obtineret, et suo nos exemplo in derelictionibus illuminaret ac solaretur.

Cum ad perfectionem, quae spiritualis quaedam mors est, necesse sit, ut anima ab omni creaturarum fulcimento privetur solique Deo innitatur et vivat, triplici via Deus eum, quem ad illam vult evehere, ducere solet. Primo, eum tentationibus exercet ut a mundanis om-

nibus se retrahat, eaque abhorreat. Secundo, permittit ut homines, illi etiam quibus magis se committebat, eum derelinquant, eique adversentur. Tertio tandem, omnem ei spiritualem consolationem subtrahit, ut non consolationibus Dei innitatur, sed Deo consolationum : quod est creatis omnibus et sibi ipsi mori, ut soli Deo vivatur. *Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus* (Gal. 2, 20).

Dum autem Deus, in abscondito plerumque, immo et quandoque velut contrarium agens, opus suum aggreditur, urget ac perficit in anima, curet haec, inter probationes illas et apparentes derelictiones, via nudae fidei procedere ; Dei servitium et laudem pure et unice intendens, Deo se tradat ; Deo, sicut parvulus matri, se committat, atque, etiam in spem contra spem, ei confidat. *Dominus sollicitus est mei, adjutor meus et protector meus ;* sed et cum Psalmista praemittat : *Ego autem mendicus sum et pauper* (Ps. 39, 18).

Considera Christum novum subeuntem ex falsa sui verbi interpretatione opprobrium. Dixerat : « *Eli,* » *(Deus meus). Quidam autem illic stantes, et audientes, dicebant : Eliam vocat iste (iste,* ita Christum Dominum contemptim designabant). *Ceteri vero dicebant : sine videamus an veniat Elias liberans eum.*

Paulo post, quintum verbum protulit in cruce, totus prae dolore exsiccatus Jesus. *Postea sciens Jesus quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit : Sitio. Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus.* Adeo illi rustice, contemptim et inhumaniter morientem Christum Dominum tractavere.

Sitio : sitiebat quidem Christus, et, propter exurentem cruciatum, crudeliter; et multum inde, sicut moribundi, patiebatur. Quare potum petiit? 1. *Factus obediens usque ad mortem*, ultimum suorum dolorum punctum in S. Scriptura praedictum implere voluit. 2. Voluit et cum nova ignominia atque acerbitate acetum gustare, ut intemperantias nostras et mensarum delicias expiaret. 3. Siti sua corporali, sitim aliam animae suae significare voluit, sitim nempe divinae gloriae, sitim magis etiam patiendi pro nobis, sitim salutis et sanctitatis nostrae, sitim amoris nostri. Sitivit cor tuum : *Praebe, fili, cor tuum mihi* (Prov. 23, 26). Qui tanta pro te patitur, qui pro te vitam cum sanguine fundit, non meretur cor tuum, totum cor tuum et tua omnia? *Dilexit me, et tradidit semetipsum pro me. — Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Manete in dilec-*

tione mea (Jo. 15, 9). — *Quid ego debeo facere et pati pro illo?*

Obtuli ego ei potum amarissimum peccatorum meorum; ipse autem, quoties me calice pretiosi Sanguinis sui inebriavit : *Calix meus inebrians quam praeclarus est!* (Ps. 22, 5).

Tertium punctum. — *Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit : Consummatum est.* Vox illa mortis adventum significat : ecce jam morior; actum est de me. Quantum verbum istud cor Matris dolorosae confixit!

Consummatum est, id est 1° *factus sum obediens* Patri *usque ad mortem.* Dixerat per os Prophetae : *In capite libri scriptum est de me, ut facerem, Deus, voluntatem tuam* (Ps. 39, 8). Dixerat conversans cum hominibus, et loquens de Patre suo : *Quae placita sunt ei facio semper* (Jo. 8, 29.) Dixerat in cena de Apostolatu suo : *Opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam.* Nunc de universae vitae suae obedientia ait : *Consummatum est.* 2° Consummatae sunt prophetiae omnes, quae singula Passionis meae tormenta praedixerunt; consummatae sunt et adimpletae in me figurae omnes Veteris Testamenti, et novus Isaac, mortem suscipio a Patre meo; consummata est lex Moysi, et jam lex amoris legi timoris succedit. 3° Consummatum est regnum dia-

boli et peccati. Contrivi caput serpentis, delevi *quod adversus vos erat chirographum decreti, quod erat contrarium vobis, et ipsum tuli de medio, affigens illud cruci* (Col. 2, 14). 4° Vitam habui durissimam et fui in laboribus a juventute mea, in perpetua paupertate, abjectione, afflictione; sed omnia illa finem habent. *Pater, venit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te... Ego te clarificavi super terram : opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam* (Jo. 17, 2, 4). 5°. Consummata est militia hominum adversum me. Quid potuerunt facere contra me, et non fecerunt? *Filios enutrivi, et exaltavi : ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum, et asinus praesepe domini sui : Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit* (Is. 1, 2, 3). Cum inter eos non nisi benefaciendo petransissem, me calumniis, blasphemiis, contumeliis affecerunt; ego autem humiliavi me. Cum venissem ut vitam haberent, et abundantius haberent, ipsi *mihi insidiati sunt, quasi leo in spelunca sua* (Ps. 9, 9). Dixerunt : *Venite, mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium et nomen ejus non memoretur amplius* (Jer. 11, 19). *Acuerunt linguas suas sicut serpentis, venenum aspidum* fuit *sub labiis eorum* (Ps. 139, 4). Comprehenderunt me ut malefactorem; alapis et flagellis me

ceciderunt; me conspuerunt, et ego *corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus : faciem non averti ab increpantibus et conspuentibus in me* (Is. 50, 6). Supra dorsum meum fabricaverunt, et capiti meo spineam coronam irridentes imposuerunt, me Barabbae postpositum, inter duos latrones crucifixerunt et crucifixum subsannaverunt : ego autem humiliavi me usque ad mortem, mortem autem crucis. 6° Meus in homines consummatus est amor, nec ultra ire potuit : *Cum dilexissem meos qui erant in mundo, in finem dilexi eos* (Jo. 13, 1). *Quid est quod debui ultra facere vineae meae, et non feci ei?* (Is. 5, 4). Cum in forma Dei essem, pro hominibus mihi inimicis factus sum homo; eis doctrinam meam et cor meum dedi; ab infirmitatibus omnibus sanavi eos; cor meum dedi eis et sanguinem, et vitam. *Consummatum est.*

Ultimum Christi verbum : *Et clamans voce magna* (ut ostenderet non coacte se, sicut nos, sed libere ac voluntarie mori) *Jesus ait : Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Ita se, quatenus homo, Patri commendavit. Cessarunt fulgura; deleta est in sanguine Jesu iniquitas terrae; in sereno jam caelo Deus morienti Christo ut Pater iterum apparet : *Hic est filius meus dilectus;* hinc fiducia : *Pater.*

Unde ista fiducia? *Consummatum est : Humiliavit semetipsum factus* OBEDIENS *usque ad mortem, mortem autem crucis.*

Vis et tu cum fiducia, tutus et securus mori? Conforma te cum Jesu voluntati divinae in omnibus, et nihil Deo denega.

Et haec dicens, expiravit. Eo momento quo Jesus tradidit spiritum, respice eum pallore mortis pallidum; respice oculos et os ejus. Pro peccatis meis mortuus est... Respice B. Virginem, Joannem, Magdalenam, sanctas mulieres notosque, aspicientes et flentes : nil amplius lacrymas et singultus prohibet. *In die illa magnus erit planctus in Jerusalem, sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon. Et planget terra : familiae et familiae seorsum : familiae domus David seorsum, et mulieres eorum seorsum...* Considera circumdantes Matrem dolorosam dicentem : *Vide, Domine, quoniam tribulor... subversum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum : foris interficit gladius, et domi mors similis est* (THREN. 1, 20).

Accede et tu ad eam quae te sub cruce genuit, et respice eam : *Plorans ploravit in nocte, et lacrymae ejus in maxillis ejus* (IB. 1, 2). *Gemitus Matris tuae ne obliviscaris.* Ama Filium ejus, eique trade omnia.

In fine colloquia, et *Pater noster. Stabat Mater.*

Quartum exercitium, repetitio trium praecedentium.

Quintum exercitium, applicatio sensuum ad eadem.

Octava dies

PRIMUM EXERCITIUM

Coram mortuo Jesu

MATT. 27, MARC. 15, LUC. 23, JO. 19

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. Erit hic, quomodo statim a morte Christi Domini miracula facta sunt : terra mota est, velum templi scissum est, et monumenta aperta sunt; interea stabant a longe multae mulieres et noti plures; de plebe qui aderant, revertebantur percutientes pectora sua.

Secundum praeambulum, compositio loci. Erit hic videre Calvariam post mortem Christi Domini.

Tertium praeambulum sicut ante, referendo omnia quae Christus passus est.

Primum punctum. — Miracula. Usque ad mortem Christi Domini, divinitas ejus se ab-

scondit et sivit pati sacratissimam Humanitatem tam crudelissime, ut ait Ignatius. Ast post ejus mortem, omnia et tormenta et opprobria consummata sunt. Manent utique in sacratissimo Corpore usque ad resurrectionem passionum vestigia, vulnera, sanguis et mortis pallor; sed eo ipso momento quo sanctissima anima discessit a corpore, mirabilibus effectibus divinitas mortuo corpori hypostatice unita se manifestat, ita ut inimici Jesu nil amplius possint, nisi quod vult ipse Deus. Quamvis enim mala eorum voluntas perseveret, impotens a Divinitate efficitur.

Principes sacerdotum commoverant plebem ut peteret Barabbam, Jesum vero traderet; suggesserant populo ut clamaret : *crucifige, crucifige eum;* acceleraverant condemnationem Jesu, ut festis praeessent paschalibus; et ecce illico eorum sacerdotium per miraculum abrogatur et templum ipsum divinitus reprobatur, profanatur, atque ab eo Deus discedit, donec penitus destruatur, nec lapis super lapidem remaneat. Interea locus illius pretiosissimus, Sanctus scilicet Sanctorum, in quem semel tantum in anno summus sacerdos ingrediebatur, communis fit et profanus. *Et ecce velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum.*

Miraculis Christi in horto restiterant; neque patientia ac mansuetudine Christi moti fuerant : immotos, immo et crudeliores eos tormenta Christi, ejus flagellatio, coronatio reliquerant; et ecce sub pedibus eorum *terra mota est, et petrae ob eorum* oculos *scissae sunt.*

Existimabant deletam in aeternum Christi memoriam. *Eradamus eum de terra, et nomen ejus non memoretur amplius;* et ecce, in signum resurrectionis illius, quem extinctum putabant, *monumenta aperta sunt : et multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt : sanctorum* utique, non damnatorum, quorum animae erant in inferno sepultae, quemadmodum sepelientur animae eorum, qui in Christum credere noluerunt.

Impletur jam illud Davidicum : *Adstiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus. Dirumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum. Qui habitat in caelis irridebit eos : et Dominus subsannabit eos.* Noluerunt super se regnare Christum, et jam incipit regnum ejus : *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion, montem sanctum ejus.* Cum confessus fuisset Jesus esse se Filium Dei, Caiphas scidit vestimenta sua dicens : « Blasphemavit » ; et en *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae.

Quanto sublimior erit Jesus in fine mundi, cum peccatores omnes peribunt a facie terrae.

Secundum punctum. — Amici Christi. Praeter Mariam et Joannem, qui non recedebant a cruce, *erant mulieres de longe aspicientes; inter quas erat Maria Magdalene, et Maria Jacobi minoris et Joseph mater, et Salome : et cum esset in Galilaca, sequebantur eum, et ministrabant ei, et aliae multae, quae simul cum eo ascenderant Jerosolymam.* Rem complet S. Marcus, cum dicit : *Stabant autem omnes noti ejus a longe : et mulieres...* Ergo non mulieres tantum aderant, sed et viri.

De longe aspicientes : accede tu qui amicus es, accede prope, et contemplare pendentem in cruce mortuum Jesum. Quem postquam a Nativitate ejus usque ad montem Calvariae in Exercitiis spiritualibus amanter secutus es, ne deseras mortuum.

Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum? Audi, recordatus peccatorum tuorum, respondentem : *Illis plagatus sum in domo eorum qui diligebant me* (ZACH. 13).

Non obstantibus peccatis tuis, « inspice ca-
» put hoc inclinatum ad osculandum, cor
» apertum ad diligendum, brachia extensa ad

» amplexandum, totum corpus expositum ad » redimendum : haec quanta sint cogita, haec » in statera tui cordis appende; et totus tibi » figatur in corde, qui totus pro te fuit affixus » in cruce (S. Aug. l. de Virg.). »

Quid a te pro tanto amore reposcit? Amorem, eumque generosum. Audi ejus interpretem Paulum (2 Cor. 5) : *Pro omnibus mortuus est Christus, ut et qui vivunt,* jam non sibi vivant, *sed* ei, qui pro ipsis mortuus est.

Tertium punctum. — Fructus mortis Christi. Dixerat Jesus : *Postquam exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum;* et revera, jam antequam moreretur, traxit ad se latronem. Post mortem autem suam, dum pendebat adhuc in cruce, multos alios traxit.

S. Marcus ait : *Videns autem Centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirasset, ait : Vere hic homo erat Filius Dei.* Non enim ex defectu virium, sicut solent exsangues moribundi, extinctus fuerat Jesus, sed quia volebat; nec post mortem, sed ante, caput inclinaverat; cumque centurio vir esset recti cordis, et Jesum, ut verum malefactorem, cruci a militibus suis jussisset affigi, ubi signum divinitatis Crucifixi agnovit, gratiae Dei respondit et palam coram commilitonibus suis fidem suam asseruit : *Vere hic homo erat Filius*

Dei. Neque fuit sine fructu exemplum, tum praesertim quum alia signa terrifica emicuere. Nam, ut ait Marcus, *Centurio autem, et qui cum eo erant, custodientes Jesum, viso terrae motu et his, quae fiebant, timuerunt valde, dicentes : Vere Filius Dei erat iste.*

De turba autem, non quacumque, sed de ea quae remanserat in monte Calvariae, ait Lucas : *Et omnis turba,* cujus scilicet simplicitas fuerat a pontificibus et senioribus captivata, *eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, et videbant quae fiebant, percutientes pectora sua revertebantur.*

Similia de nullo pontifice, sacerdote, seniore, scriba aut pharisaeo perhibentur. Isti enim omnes, invidiae, superbiae, odio et aliis nequitiis dediti, oculos voluntarie claudebant, ut non viderent; et quamvis prodigiis quae fiebant territi essent et turbati, obdurabant, sicut Pharao, cor suum. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (Jac. 4, 6).

In fine colloquium et *Pater noster.*

SECUNDUM EXERCITIUM

Mysteria pcst mortem Christi

MATT. 27, MARC. 15, LUC. 23, JO. 19

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. Erit hic quomodo expetiti a Judaeis milites fregerunt latronum crura, et unus militum percussit lancea latus Jesu, et exivit sanguis et aqua. Accessit dein Joseph ad Pilatum et petiit corpus Jesu. Quo accepto, linteum emit; emit et Nicodemus aromata, ut sacratissimum corpus Domini sepelirent.

Secundum et tertium praeambulum, sicut in praecedente exercitio.

Primum punctum. — Christus lancea transfixus. Solus Joannes, qui in ultima Cena supra cor Domini recubuerat, hanc transfixionem, cujus testis fuit, in suo Evangelio enarravit. *Judaei ergo, (quoniam Parasceve erat) ut non remanerent in cruce corpora sabbato, (erat enim magnus dies ille Sabbati) rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura et tollerentur.* Pilatum adeunt hypocritae illi, sub praetextu pietatis, ut nimirum paschale Sabbatum manibus sanguine Justi cruentatis non celebrent, sed revera ut ultima ignominia et crudelitate

Jesum afficiant, eumque de medio penitus tollant. *Eradamus eum de terra viventium, et nomen ejus non memoretur amplius.* Jam vero nullam eis, ab ipso mortis Christi momento, remanere potestatem, etiam in ejus corpus, Deus ostendet. Transiit enim *hora eorum et potestas tenebrarum,* atque omnia quae in eum tentabunt, contra eos ad gloriam Christi resurgentis vertentur. Incident in foveam quam facient; convertetur dolor eorum in caput eorum, et in verticem ipsorum iniquitas eorum descendet. Nihil enim in odium Christi molientur, quod non in argumentum divinae ejus Resurrectionis cedat evidentissimum. Necesse enim erat, ut ante omnia per ipsos Judaeos de certa Jesu morte constaret. Constitit autem de morte, non per crurifragium, ut impii volebant Judaei, sed, quod multo evidentius est, per cordis transfixionem. Ideo tantopere Joannes, cujus officium fuit probare Divinitatem Christi et, per consequens, ejus Resurrectionem, tranfixioni illi insistit: *Et qui vidit, testimonium perhibuit; et verum est testimonium ejus. Et ille scit quia vera dicit: ut et vos credatis.* Atque in eumdem finem Prophetiae adimpletionem adducit: *Facta sunt enim haec ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo.* Superadditur testimonium et

militis et centurionis : *Ad Jesum cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum — Cum cognovisset* (Pilatus) *a centurione quod jam mortuus esset* (Marc, 16, 45).

Contemplare nunc actum illum crudelissimum, in conspectu afflictae Matris : *Unus militum lancea latus ejus aperuit.* « Venerunt » ergo milites, et aliorum fregerunt crura, non » Christi; sed ad Judaeorum gratiam conci- » liandam, latus ejus lancea aperuerunt, et » mortuo adhuc insultant. O pessimam volun- » tatem, ac scelestissimam! (S. Jo. Chrys. » tr. 120 in Jo.). »

Gladius transfixit quidem Cor Jesu, nullum autem ei dolorem inussit, at non ita de amantissimo corde dulcissimae Matris ejus. Tunc enim completa Simeonis senis prophetia est : *Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit.* « Vere tuam, ait S. Bern. (s. 12 stellis), o » beata Mater, animam gladius pertransivit : » alioquin non nisi eam pertransiens, carnem » Filii tui pertransiret. Et quidem postea- » quam emisit spiritum tuus ille Jesus, ipsius » plane non attigit animam crudelis lancea, » quae ipsius aperuit latus, sed tuam utique » animam pertransivit. »

Cogita hic de similibus transfixionibus, quibus viva et gloriosa Corda Jesu et Mariae

toties transverberantur, per tot sacrilegas Missas et communiones.

Secundum punctum. — *Et continuo exivit sanguis et aqua.* Divina illa transfixio, quae ex parte Judaeorum consummatio odii est, est ex parte Christi Domini quasi consummatio amoris, ineffabili plena mysterio; in ea enim et ortus et fecunditas Sponsae Christi Ecclesiae significatur et peragitur. In cruce, antequam moreretur, per effusionem Sanguinis sui, pro omnibus satisfecit Jesus, et omnibus omnia promeruit. *Sine sanguinis effusione non fit remissio* (Hebr. 9, 22). Remissio autem et promeritorum donorum applicatio post mortem Christi fit, cum per transfixionem Cordis non tantum Sanguis effluit, sed virtus Sanguinis Sanctae Ecclesiae et filiis ejus applicatur. In hunc sensum ait S. Jo. Chrysostomus : « Vis » et aliam hujus Sanguinis scrutari virtutem? » Volo. Unde primum (i. e. ut primum appli» caretur) cucurrit inspicias, et de quo fonte » manavit? De ipsa primum cruce processit : » latus illud dominicum initium fuit. » (Quam magnifica in his latent! Sanguinem qui nobis applicetur, ex Corde suo, infinito amoris sui oceano, et virtutem sanguinis sui immediate effluere voluit. Sic nos dilexit ac porro diligit!) « Mortuo enim, ait, Jesu, et adhuc in

» cruce pendente, approximavit miles, latus » lancea percussit, et exinde aqua fluxit et » sanguis, unum baptismatis symbolum, aliud » Sacramenti. Ideo non ait : Exiit Sanguis et » aqua; sed exiit aqua primum et Sanguis : » quia primum baptismate diluimur, et pos- » tea Mysterio dedicamur. » Sic Legi timoris amoris Lex successit; discisso velo templi et abrogato ejus Sancto Sanctorum, scissum est latus Jesu, ut sacratissimum amoris ac Divinitatis ejus sanctuarium et altare nobis pateret, ita ut ex parte Jesu omnia per amorem Cordis ejus fierent, et sola regnaret Charitas. *Deus charitas est* (1 Jo. 4, 8). Unde Christus S. Angelae de Foligno aiebat : Vide an aliud in me sit, nisi amor.

1. Sanctae Matris Ecclesiae, Christi Sponsae, conceptio et nativitas. Quod S. Ecclesia sponsa Christi Domini sit, mirifice ex epist. Pauli ad Eph. 5. demonstratur. Occasione enim Sacramenti matrimonii in Christo contracti, de sponsarum obligationibus tractans, hisce dat in exemplum sponsam Christi, S. Matrem Ecclesiam. *Mulieres viris suis subditae sint, sicut Domino : Quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae : Ipse Salvator corporis ejus... Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tra-*

didit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipsi sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.

Ubi autem concepta et nata est sancta illa et immaculata sponsa Christi Ecclesia, nisi in Corde et ex Corde sponsi sui Jesu? « Ex » latere enim suo, ait Joannes Chrysostomus, » Christus aedificavit Ecclesiam, sicut de la- » tere Adam conjux ejus Heva prolata est. » Nam hac de causa Paulus quoque testatur » dicens (Ib. ad Eph.) : *Nutrit et fovet Christus* » *Ecclesiam : quia membra sumus corporis ejus,* » *de carne ejus, et de ossibus ejus.* » Creationi enim Hevae hic alludit Apostolus, quae ex carne et ossibus Adae facta, figuram Ecclesiae detulit; sed figura realitati tantum inferior est, quantum Adam Christo. Ex costa Adae Heva aedificata est; ex Corde autem ipso Jesu, in Spiritu Sancto concepta et nata est Ecclesia. Hoc sensu prosequitur Chrysost. : « latus » videlicet illud significans. Nam sicut de » latere Deus fecit foeminam procreari; sic et » de suo latere Christus aquam nobis dedit et » sanguinem, unde repararetur Ecclesia. » Si Christus non aliunde quam ex Corde suo concipi et nasci voluit Ecclesiam, intellige quan-

tum eam diligat, neque mireris quod eam sibi gloriosam, sanctam et immaculatam exhibuerit. Si talis jam est in terris, quid erit in caelis post consummationem saeculorum, quando sancta et immaculata in omnibus membris suis, necnon et divinae gloriae particeps efficietur? Audi Joannem (Apoc. 21. 1, 2) : *Et vidi caelum novum, et terram novam... Et ego Joannes vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de caelo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo.*

2. Sanctae Matris Ecclesiae fecundatio in Corde Jesu. De Ecclesia Christi praecinuerat Isaïas : *Lauda, sterilis quae non paris : decanta laudem, et hinni quae non pariebas : quoniam multi filii desertae magis quam ejus quae habet virum, dicit Dominus. Dilata locum tentorii tui, et pelles tabernaculorum tuorum extende... semen tuum gentes haereditabit* (c. 54); et de nova Jesu Jerusalem : *Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est... et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. Leva in circuitu oculos tuos, et vide : omnes isti congregati sunt, venerunt tibi : filii tui de longe venient, et filiae tuae de latere surgent. Tunc videbis, et affluës, mirabitur et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi* (c. 60).

Unde tanta Ecclesiae spiritualis fecunditas, nisi ex Corde Jesu, de quo exivit tum aqua baptismatis, qua intincti populi per ministerium Ecclesiae regenerantur et fiunt filii Dei; tum sanguis, quo per Mysterium praesertim Eucharisticum vita divina nutritur ac evolvitur, divinaeque naturae magis ac magis consortes efficimur? Ad spiritualem itaque ac divinam vitam, non Sponsa tantum Christi Ecclesia concepta et nata est in Corde Jesu, sed et filii ejus omnes ex eodem sacratissimo Corde per aquam et sanguinem, ministra Ecclesia, concipiuntur, nascuntur et vivunt.

Conclude ex his devotionem erga Cor Jesu non accidentalibus esse adscribendam, sed, quoad originem suam et effectus, ipsam sacrae nostrae Religionis essentiam respicere, nihilque Christum, ad vitam spiritus renovandam et augendam potuisse melius efficere, quam ut Cor suum lancea vulneratum, spinis coronatum, cruci suppositum et divini amoris flammis inardescens frigescenti mundo per Mariam Margaritam patefaceret.

Tertium punctum. — Apertum Cor Jesu. *Unus militum lancea latus ejus aperuit.* Graece habetur *perfodit,* Ecclesia autem vertit latine : *aperuit,* sed in idem illa incidunt : alterum enim causam indicat, alterum vero effectum.

Ubi retracta fuit lancea, exstitit apertum latus; lancea ideo perfodit ut Cor aperiretur. Cur autem apertum est, nisi ut nobis aditus ad illud pateret? « Hoc praenuntiabat, ait Aug., » quod Noe in latere arcae ostium facere jus- » sus est, quo intrarent animalia, quae non » erant diluvio peritura, quibus figurabatur » Ecclesia (T. 120 IN Jo.). » De hac apertura ibidem disserens idem S. Pater ait : « Vigi- » lanti verbo Evangelista usus est, ut non » diceret : Latus ejus percussit, aut vulnera- » vit, aut quid aliud, sed, *Aperuit,* ut illic » quodammodo vitae ostium panderetur, un- » de Sacramenta Ecclesiae manaverunt, sine » quibus ad vitam, quae vera vita est, non » intratur. »

Audi S. Bonaventuram piissime de eodem Mysterio dicentem, in libro de ligno vitae : « Porro ut de latere Christi dormientis for- » maretur Ecclesia, divina est ordinatione in- » dultum, ut unus militum lancea latus sacrum » illud aperiendo perfoderet, » (utrumque ver- bum luculenter conjungit) « quatenus sangui- » ne cum aqua manante pretium effunderetur » nostrae salutis, quod a fonte scilicet Cordis » arcano profusum, vim daret Sacramentis » Ecclesiae, ad vitam gratiae conferendam, » essetque jam in Christo viventibus poculum

» fontis vivi, salientis ad vitam aeternam. » Surge igitur, anima amica Christi, vigilare » non cesses, ibi os appone, ut haurias aquas » de fontibus Salvatoris. »

Hunc in modum exultat (l. cit.) Jo. Chrysost. : « Latus miles aperuit, et templi sancti » parietem patefecit. Et ego thesaurum prae- » clarum inveni, et fulgentes divitias me gra- » tulor reperire. »

Quantus autem thesaurus nobis ille sit, consideremus.

1° Cor Jesu fons nobis est inexhaustus gratiarum. Praedixerat Is. (12, 2, sq.) : *Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam, et non timebo : quia fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* — Joan. autem (7, 37) ait : *In novissimo autem die magno festivitatis, stabat Jesus et clamabat, dicens : Si quis sitit, veniat ad me, et bibat.* Quis igitur os non apponat, ut ait S. Bonav., ad vulnus Cordis Jesu, in quo sunt thesauri omnes sapientiae et scientiae Dei, pietatis et innocentiae, humilitatis et mansuetudinis, bonitatis et misericordiae? *Os meum aperui, et attraxi spiritum* (Ps. 118).

« Utinam mihi daretur, exclamabat B. Mar- » gareta Maria, coram universo mundo ingen- » tes gratiarum thesauros expandere, quos in

» Corde suo reconditos, gestit Dominus Jesus » in animas cultui ejusdem Cordis devotas » effundere! Haud scio an devotionem aliam » reperias, qua citius et efficacius ad apicem » sanctitatis eveharis. » Ab aperto tibi corde, scil. ab amante te et omnipotente quid non obtineas?

2. Cor Jesu oceanus misericordiae est. Interroga Petrum; interroga Thomam; interroga Magdalenam. Promisit B. Margaretae Jesus: « Peccatores, si ad Cor meum accesserint, » misericordiae in eo oceanum invenient. »

3. Cor Jesu certissimum est periclitantibus refugium. « Ad hoc enim vulneratum est Cor » tuum, ait S. Bern., ut in illo et in te ab » exterioribus perturbationibus absoluti ha- » bitare possimus » (S. 3 DE PASS.). De S. Augustino legitur, quod in tentationibus ad vulnera manuum ac pedum Christi confugeret: si autem saevioribus passionum stimulis urgeretur, in vulnus Cordis Jesu se recipiebat, ibique abscondebat se.

4. Cor Jesu schola est, in qua discitur sanctitas et dulcescit virtutum asperitas. Suadens hominibus sanctitatem Christus dicebat: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me* (MATT. 16, 24). *Qui non bajulat crucem suam, et venit post*

me, non potest meus esse discipulus. Dura crux, durae spinae; sed quam dulcis et inuncta crux, quam dulces et inunctae spinae ei, qui in Corde Jesu habitat, sub cruce in qua Jesus ex amore transfixus pependit, intra spineam illam coronam qua Jesus ex amore compunctus est! Quid cruces nostrae, quid spinae, si cum spinis et cruce Jesu comparentur? Quis autem vellet, avulsis a Corde Jesu cruce et spinis, sola amoris Ejus dulcedine perfrui?

5. Cor Jesu paradisus est animarum. Audi dissuavientem mellifluum Bernardum (loc. cit.) : « O quam bonum et quam jucundum » habitare in Corde hoc! Quin potius dabo » omnia, omnes cogitationes, et affectus men- » tis commutabo, jactans omne cogitatum » meum in Cor Domini Jesu, et sine fallacia » illud me enutriet. Ad hoc templum, ad haec » Sancta sanctorum, ad hanc arcam Testa- » menti adorabo, et laudabo nomen Domini, » dicens cum David : Invenit cor meum, ut » orem Deum meum. Et ego inveni cor Regis, » fratris et amici benigni Jesu. Et numquid » non adorabo? Hoc igitur Corde tuo et meo, » dulcissime Jesu, invento, orabo te Deum » meum : admitte tantum in sacrarium exau- » ditionis tuae preces meas : immo me totum » trahe in Cor tuum. O omnium pulchritu-

» dine speciosissime Jesu, amplius lava me
» ab iniquitate mea, et a peccato meo munda
» me; ut purificatus per te, ad te purissimum
» possim accedere, et in Corde tuo omnibus
» diebus vitae meae merear habitare, et ut
» videre simul et facere tuam valeam volun-
» tatem... Quis illud Cor tam vulneratum non
» diligat? Quis tam amans non redamet? Quis
» tam castum non amplectatur? Nos igitur
» adhuc in corpore manentes, quantum pos-
» sumus amemus, redamemus, amplectamur
» vulneratum nostrum, cujus impii agricolae
» foderunt manus ac pedes, latus et cor : ste-
» musque, ut cor nostrum, durum adhuc et
» impoenitens, amoris sui vinculo constrin-
» gere, et jaculo vulnerare dignetur. »

In fine colloquium, et *Pater noster*.

TERTIUM EXERCITIUM

Christi sepultura

MATT. 27, MARC. 15, LUC. 23, JO. 19

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. Erit hic, quomodo Joseph, nobilis decurio, occultus eousque Christi discipulus, audacter tunc a Pilato corpus Jesu petiit et impetravit; venien

ergo cum Nicodemo, corpus sacratissimum e Cruce deposuerunt, Sindone involverunt, et detulerunt ad sepulcrum, Judaei autem, facultate a Pilato accepta, sigillum sepulcro apposuerunt et posuerunt custodes.

Secundum praeambulum, compositio loci. Erit hic videre et locum crucifixionis et sanctum Sepulcrum excisum de petra.

Tertium praeambulum non variatur.

Primum punctum. — *Primo,* ait S. P., *fuit depositus de cruce per Josephum et Nicodemum, in conspectu Matris suae dolorosae.*

Series opprobriorum Christi consummata est, sicut et omnium electorum per mortem consummabitur. Exinde sempiterna apparebit gloria *(et sic intrare in gloriam Patris);* nec quidem patietur quidquam Deus in Christum tentari, quod non in ejus gloriam, contra inimicorum consilia, cedat. Exinde etiam suum sortitur effectum praedictio Christi : *Postquam exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum;* et qui in occulto solum, ob metum Judaeorum, erant discipuli Christi, fidem suam et charitatem in eum audacter jam profitentur. Hic fructus est crucis et opprobriorum Jesu : in eodem signo vincent et Apostoli mundum.

Post haec autem, cum jam sero factum esset, ecce

venit quidam homo dives nomine Joseph, nobilis decurio. Audi jam quomodo Spiritus Sanctus eos immortali gloria decoret, qui amorem in Christum heroice profitentur : *Vir bonus et justus. Hic non consenserat consilio et actibus eorum; ab Arimathaea, civitate Judaeae, qui et ipse erat expectans regnum Dei, discipulus Jesu, occultus autem propter metum Judaeorum.* En nunc effectus mortis Jesu turpissimae, qua omnia perdita videbantur : *hic audacter introivit ad Pilatum et petiit corpus Jesu. Pilatus autem mirabatur si jam obiisset. Et accersito centurione, interrogavit, si jam mortuus esset.* Ita omnia divina Providentia disponebat, ut per certam mortem resurrectio claresceret. *Cum cognovisset* ergo Pilatus *a centurione, jussit reddi corpus Jesu.* Sic servat Deus ab injuriis inimicorum divinum Corpus.

Joseph autem, amore Jesu jam inardescens, *mercatus est sindonem* ad sepeliendum eum. *Venit autem et Nicodemus, qui venerat ad Jesum nocte primum, ferens mixturam myrrhae et aloes, quasi libras centum.* Sic sequitur ignominiam gloria.

Comitare Joseph et Nicodemum, et servos eorum scalas ceteraque ad deponendum ac sepeliendum Jesum necessaria deferentes; contemplare eorum dolorem et amorem; con-

templare, ubi ad crucem accedunt, Matrem Christi, Joannem, Magdalenam, ceteras sanctas mulieres, et amicos Jesu et milites; contemplare Joseph et Nicodemum stantes ante crucem et Jesum mortuum flendo respicientes.

Cruci scalam applicant, ascenduntque ut Jesum cum summa reverentia et lacrymis e cruce deponant. Contemplare quomodo, ubi primum clavum eruerunt, cadens brachium Jesu probabiliter a Joanne sustineatur cum sacro corpore, quod, secundo clavo ablato, quasi in amplexum sustinentis incidit. Ultimo tandem eruto clavo, totum cedit ac descendit pretioso sudario involutum sacratissimum corpus. Dum haec fiunt, Matrem Jesu respice. Innuit omnia S. P. cum ea quae ipsi propria est, divina et piissima unctione; ait enim brevissime, sed cum eximio sensu : *in conspectu Matris suae* DOLOROSAE. Dolorosa Mater brachia tendens filium suum repetit : super genua ejus deponitur. Aspice eam contemplantem lividum et vulneribus confossum corpus, clausos jam oculos, os inanime, et plagas osculantem ac lacrymis rigantem : Jesu, fili mi! fili mi, Jesu! Contemplare et tu, cum fletibus Matris dolorosae, vulnera Christi, et defle peccata tua, quae ita crucifixerunt Jesum, et cor amantissimae Matris

ejus pupugerunt. *His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me. — Quid debeo facere et pati pro eo?*

Secundum punctum. — *Secundo,* ait S. P., *fuit delatum corpus ad sepulcrum, et unctum, et sepultum.*

Erat autem in loco ubi crucifixus est hortus : et in horto monumentum, quod (Joseph) *exciderat de petra,* et *in quo nondum quisquam positus erat.* Hoc dignitas Jesu exigebat; et *sepulcrum ejus erit gloriosum.*

Ordinatur iter tristissimum ad sepulcrum. Contemplare corpus Jesu, dum defertur; contemplare sequentem et flentem Matrem, flentem Joannem, flentes Josephum et Nicodemum, flentes sanctas mulieres.

Et unctum : vide quanta cum reverentia et amore, inter lacrymas et singultus, *involvunt* sanctissimum Corpus *sindone munda, illud ligant linteis, sicut mos est Judaeis sepelire,* et pretiosa aromata in illud effundunt.

Et sepultum : momentum jam advenit dolorosissimum. Sepulcrum cum inanimi corpore ingrediuntur amici Christi et Jesum in conspectu Matris suae dolorosae in destinato loculo reclinant. *Eia, Mater, fons amoris, me sentire vim doloris fac, ut tecum lugeam.* Contemplabor et sanctas mulieres : *Maria autem*

Magdalene et Maria Joseph, quae cum eo venerant de Galilaea, sedentes contra sepulcrum, aspiciebant ubi et quemadmodum positum erat corpus Jesu. Revertentes enim *unguenta et aromata* erant paraturae, ut sacratissimo Domini corpori ea, post magnum Sabbatum, apponerent.

Advolvit (Joseph) *saxum magnum ad ostium monumenti, et abiit.* Abiit et Mater dolorosa cum Joanne. Sequere eos, et cum iis funebrem noctem transige. *Plorans ploravit in nocte. — Virgo virginum praeclara, mihi jam non sis amara, fac me tecum plangere.*

Tertium punctum. — *Tertio,* ait S. P., *positi fuere custodes.*

Convenerunt principes sacerdotum, et pharisaei ad Pilatum, dicentes : Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens : post tres dies resurgam. Jube ergo custodiri sepulcrum usque in diem tertium : ne forte veniant discipuli ejus, et furentur eum, et dicant plebi : surrexit a mortuis : et erit novissimus error pejor priore.

En quo principes Judaeorum duxerunt superbia et invidia. Innocentem, quia et exemplo et doctrina impietatem eorum et vitia redarguerat, interfecerunt, nec innocentem tantum, sed et missum a Deo, qui tot miraculis suam Divinitatem manifestam fecerat : *Recordati sumus,* etc. Hoc culmen eorum vo-

luntariae caecitatis et malitiae est. Timor ille ex parte discipulorum causa ficta est : quid enim timoris habere poterant ab illis duodecim, qui omnes viventem Dominum suum, prae pavore fugam capessentes, dereliquerant, quorum unus eum morti tradiderat, alter, princeps ipse, eum ad vocem ancillulae ter negaverat? Quid igitur timebant praeter ipsam Christi resurrectionem? Hinc custodes petunt, qui eum, si resurgat, iterum occidant. Ut autem suam invidiam et odium apud Pilatum dissimulent, perfidi illi hypocritae, sub specie religionis, Christum seductionis accusant : *Seductor ille dixit adhuc vivens.* « Hoc » appellabatur nomine, ait S. Aug. in Ps. 67, » 7, Dominus Jesus Christus, ad solatium » servorum suorum, quando dicuntur seduc- » tores. »

O felices illos omnes qui illecebris Cordis Jesu seduci se siverunt! Felix B. Virgo, Regina Caelorum! Felix S. Joseph! Felices Apostoli! Felix Magdalena! Felices innumeri Sancti qui regnant in gloria! Felix tandem quicumque a Christo seductus, crucis et paupertatis opprobria, propter Jesum, relictis omnibus, eligit et amplectitur!

Post tres dies resurgam : post tot patrata miracula, suam Christus resurrectionem praedi-

xerat, idque ut certum et infallibile divinitatis suae testimonium; non poterat ergo verax Deus eum, post praedictionem illam, a mortuis suscitare, si non esset vere Filius Dei.

Pilatus persuasam habens innocentiam Jesu et invidiam principum, seu potius divina ipsa Providentia, principes Judaeorum, sub specie concessae gratiae, in foveam praecipitat, quam Christo fodiunt, ita ut hi, dum eradere Jesum intendunt, et mortem ejus et resurrectionem universo mundo manifestam faciant. Ait illis Pilatus : *Habetis custodiam* (illam scilicet quam dedi vobis ad crucifigendum Jesum); *ite, et custodite, sicut scitis*. Sic infensissimi Christi hostes, avulsis discipulis, irrefragabiles erunt resurrectionis ejus testes. Custodes quidem principes corrumpent, at frustra. Ubi enim illi, postquam ipso momento resurrectionis prostrati velut mortui fuerant, principes sacerdotum adiere, eosque de resurrectione, de apparitione Angeli, de remoto lapide certiores fecerunt, sacerdotes (et hoc caecitatis et malitiae prodigium est) aurum custodibus dederunt ut mentirentur et dicerent : *Discipuli ejus nocte venerunt, et furati sunt eum, nobis dormientibus*. Ut autem a Pilato, domino suo, propter suum mendacium et evidens falsum testimonium milites illi non timerent,

addidere impudentissimi illi sacerdotes, pusillanimitatis Pilati conscii : *Et si hoc fuerit auditum a praeside, nos suadebimus ei, et securos vos faciemus.*

Nobis dormientibus : Vere hic *mentita est iniquitas sibi.* S. Aug. (ib.) ait : « Vere defece-» runt scrutantes scrutationes. Quid est quod » dixisti, o infelix astutia? Tantumne deseris » lucem consilii pietatis, et in profunda ver-» sutiae demergeris, ut dicas : Dicite, quia, » vobis dormientibus venerunt discipuli ejus » et abstulerunt eum? Dormientes testes ad-» hibes? Vere tu ipse obdormisti, qui scru-» tando talia defecisti. »

Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus... Qui habitat in caelis irridebit eos : et Dominus subsannabit eos. (Ps. 2, quem lege totum).

In fine colloquium, et *Pater noster.*

Nona dies

Clauditur tertia hebdomada, juxta S. P. N., vel uno vel tribus diebus, in quibus universa Passio est recolenda. Hic iterum, pro more suo, modo substantialia serventur, magnam Directori, majorem fructum intendendo, relinquit facultatem. Si nimirum exercitans

mosus est, nec nimium fatigatus; si cupit ipse (nam juxta 18 annot. non debet ei tradi quidquam ultra id *quod commode suaviter ferre possit, et ex quo possit proficere)* si, inquam, cupit hanc hebdomadam protrahere, Passioni universae recolendae tres dies impendere poterit. Alias unam tantum diem huic repetitioni S. P. assignat. In hoc ultimo casu, si facta fuerint exercitia indicata in fine libelli cum repetitionibus et applicatione sensuum, habebuntur illo die duo tantum exercitia, media scilicet nocte et in aurora : reliqua autem diei parte fient quae modo explicabimus. Si autem contracta fuerint exercitia, ita ut omissae etiam forte fuerint repetitiones et applicatio sensum et quotidie habita fuerint quatuor vel quinque nova exercitia, hac ultima die, recoletur quidem Passio integra, sed in uno tantum exercitio vel in pluribus ad libitum, majorem fructum semper intendendo : *prout magis,* ait S. P., *sibi videbitur fructum percipere posse.*

Quocumque autem modo claudatur haec hebdomada, vult S. Fundator ut tota Passio recolatur. Praeterea e mente ejus esse apparet ut nulla fiat sive repetitio sive applicatio sensuum, sed duo tantum exercitia. Repetitionibus namque et applicationi sensuum aliud substituit, sequenti modo praestandum : *Con-*

siderare per totam illam diem (vel illos tres dies), *quam poterit (exercitans) frequentissime, quomodo corpus sacratissimum Christi Domini nostri remansit solutum et separatum ab anima* (non meminit hic unionis hypostaticae Divinitatis cum corpore, quod faciet in Mysterio Resurrectionis ad gloriam Christi; sed separationis solum corporis et animae, ut in sola morte et passione mens tota versetur) : *item considerando solitudinem Dominae nostrae cum tanto dolore et fatigatione; deinde ex altera parte discipulorum (etiam) solitudinem.*

Tres igitur quasi stationes, quae variae inter se, ad fructum colligendum sunt aptissimae, proponit S. P. : 1. Ad sanctum sepulcrum, ut ibidem corpus sanctissimum, inanime, vulneribus confossum, cum funebri recordatione dolorum ejus et amante tristitia contempletur exercitans. 2. In cubiculo, ubi dolorosa Mater cum tam immenso et ineffabili dolore et cum sensu semper crescente Jesum Filium suum unigenitum, caligantibus prae lacrymis oculis, deflet. Tribus solis verbis S. P., qui tam tenere erga Matrem dolorosam afficiebatur, profundi sensus fontes aperit : *Solitudo,* omnibus cum Filio suo amissis, sola remanet; *cum tanto dolore,* secundum mensuram amabilitatis et dolorum

Filii sui et immanium tormentorum ejus; *et tanta fatigatione,* corpore scilicet et anima fatiscentibus.

Notandum hic S. Patrem, etsi sanctissimam Virginem ineffabili prosequatur amore, nullum speciale ei exercitium attribuisse, sed illius tantum meminisse, ubi Mysterio alicui intervenit; ideoque eadem ratione iis omnibus est procedendum, qui genuina S. P. N. Exercitia tradere volunt. Eliminandae igitur sunt meditationes quaecumque seorsim et ex professo agentes de devotione erga B. Virginem, erga Cor Jesu, S. Joseph, etc. Unum ob oculos in contemplationibus exhibet S. Ignatius Christum Dominum, ceteros autem nonnisi quatenus mysteriis Christi immiscentur. Sublata illa ignatiana unitate, tolluntur, magna saltem ex parte, cum natura Exercitiorum, vis eorum et fructus. 3. Statio fit apud Apostolos, eaque non ad movendos tantum sed et illuminandos animos est utilissima : magnus quidem amor in iis est et dolor, sed quanta etiam apud plerosque in fide titubatio et abjectio animi! Non nominat Ignatius Petrum, quem certo in mente habuit, ut scilicet proprio marte cum majori gustu eum ipsemet inveniat exercitans, in specu, ut fert traditio, amare flentem triplicem suam negationem. Consi-

deretur ergo ille suam sibi ingratitudinem erga Jesum exprobrans, ea secum inter fletus et singultus rememorans beneficia, quae in se Jesus contulerat, Jesumque in excessu suae contritionis alloquens.

Si Apostoli, postquam per tres annos erant cum Christo conversati, ita uno die titubavere, quanta cum humilitate mihi procedendum est? *Beatus homo qui semper est pavidus* (Prov. 28, 14).

Regulae

ad ordinandum se in posterum in victu

Scopus Exercitiorum, ut habet prima Annotatio, est *tollere omnes affectiones inordinatas,* etc. Porro, ut jam diximus, finis ille in prima hebdomada vix unquam perfecte obtinetur; immo et post exercitia secundae et tertiae, fructus non parvus erit serio praeparari et disponi ad illas omnes tollendas affectiones et ad viam practicae et constantis abnegationis ingrediendam, qua vincendo nosmetipsos, ascensiones continuas in corde ponamus et sanctitatem consequamur.

Jam vero debellatis ceteris inordinatis affectionibus, plerumque supervivet cibi et potus inordinatio. Plurimi inter religiosos ipsos

invenientur qui fortiter pugnantes, nec pro toto mundo, nec pro morte vitanda, minimis etiam peccatis perfectioni castitatis contrariis vellent consentire; invenientur et qui sui compotes effecti, motus irae frangere assuescant, qui facile paupertatis incommoda sine murmuratione sustineant, qui obedientiae jugum satis leviter ferant, qui a detractione deterreantur, qui se laboribus obrui patiantur. At quot invenies qui aliqua ex parte gulae non indulgeant? Si quem talem inveneris, de eo dicendum erit : *Quis est hic, et laudabimus eum?* Quot religiosi, propter inordinatam illam affectionem, quae se sub omni genere palliolorum abscondit, nunquam ad perfectionem et sanctitatem pertingent! Hunc igitur hostem valde astutum et pluries quotidie domui corporis nostri insidiantem ultimo S. P. aggreditur, neque ullo alio loco tractatio ista melius, quam post Passionem collocari potuit. Si enim Christus Dominus Salvator meus tam atrocia tormenta pro peccatis meis pati voluit, si pro me felle et aceto potatus est, quomodo velle possem ego, creatura peccatrix tot doloribus atque acerbitatibus redempta, vitam delicatam ac delectationes victus ac potus? Quomodo regulas saltem temperantiae servare nollem?

De poenitentia agens in decima additione dixerat S. P. : *Quando* (in victu) *tollimus (subtrahimus) superflua, non est poenitentia, sed temperantia*. In praesentibus non agitur de poenitentia, sed de temperantia, quae est sub peccato servanda.

De peccato agunt Theologi et Ascetae, ac in primis S. Thomas, qui (2, 2. Q. 141 A 6) ait : « Omnia delectabilia, quae in usum ho» minis veniunt, ordinantur ad aliquam hujus » vitae necessitatem, sicut ad finem. — Ne» cessitas enim hujus vitae est regula delec» tabilium, quae vult, ut praecise tantum eis » utamur, quantum necessitas hujus vitae re» quirit. » Ex hoc et ex octava propositione ab Innocentio XI damnata sequitur eum venialiter peccare (secluso amittendi rationis usus periculo), qui, nullum alium rectum et bene ordinatum finem intendens, ob solam voluptatem manducat et bibit.

Quare ergo hic de peccato non agit S. P.? 1. Quia supponit exercitantem, peractis secunda et tertia hebdomada, multo magis amore moveri, quod perfectius est, quam timore; 2. quia principia in Fundamento circa usum creaturarum posita satis per se declarant ibi non deesse peccatum, ubi est inordinatio; 3. quia de peccato ex professo plerumque non

sine incommodo hic ageretur. Multi enim sunt qui vel bibendo vel edendo bona, ob id ipsum quod bona sunt, bona fide ducuntur, et ne suspicantur quidem ibi adesse posse peccatum; si autem instruerentur, non se emendarent, et pro materialibus formalia peccata committerent. Ex opposito, multae delicatae animae in perpetuos scrupulos et in inextricabiles subtilitates, ut quandoque videre est, incideren t.

Propterea S. P. prudenter tacet de peccato; regulas autem tales ponit, quae si observentur, non solum contra peccata praemunient, sed ad multa coacervanda merita disponent.

Hanc notam sapienter subjicit R. P. Roothaan : « Multae ex his Regulis doctrinam » continent, quae licet hic applicata ad vic» tum sit, generatim tamen ad omnes ac» tiones et affectiones ordinandas utilissime » transferri potest, v. g. ut ad gulam, ita ad » superbiam, ad iram domandam, etc. Duo » notantur a S. P., quae ad inordinationem » in victu stimulare hominem solent, quaeque » proinde observare docet et expugnare, *appe*» *titus* naturalis, et *daemonis tentatio* (Reg. 1, » 2, et ult.). Eadem vero in omni alia inor» dinatione observari possunt ac debent; et

» pleraque remedia, quae hic praescribuntur » a S. Patre, aeque usui erunt in alia qua- » cumque *appetitus* ac *tentationis* materia, prae- » sertim ea quae habentur a Reg. 5 usque ad » finem. »

Unum addamus, scilicet Regulas illas de *victu temperando* eo maxime tendere 1°, ut mensura quae in usu creaturarum statuta est, non excedatur; 2°, ut mens, quantum fieri potest, a delectabili abstrahatur.

Prima regula *est,* ait S. P., *quod a pane convenit minus abstinere, quia non est cibus super quem appetitus soleat tam inordinari (tam inordinate ferri, modum excedere) aut ad quem tentatio insistat (adeo impellat), uti ad ceteros cibos.*

Magna hic cum prudentia S. P. incedit. Convenit *minus* abstinere : ergo et hic, si quis pane magis delectetur, utendum est abstinentia, juxta regulas usus creaturarum; ideo ait *soleat* tam inordinari. Nota et S. Patrem de *pane* simpliciter agere; nam si sit festivus aut delicata conditura auctus, jam obsoniis, de quibus in tertia Reg., erit certe adnumerandus.

Secunda, *circa potum videtur commodior (magis opportuna, necessaria magis) abstinentia, quam circa comestionem panis : proinde multum debet considerari quid prosit, ut admittatur, et quid noceat, ut tollatur.*

Magis necessaria abstinentia, tum quia appetitus naturalis magis fert ad inordinationem in potu; tum quia multa omnis generis inventa sunt quae appetitum in hac re excitent; tum denique quia in potu non venialis tantum, sed et mortalis peccati, scilicet ebrietatis, latet periculum. Quas ob causas ait S. P.: *proinde considerari debet quid prosit* (praesertim animae) *et quid noceat. Neque ebriosi..,* ait S. Paulus, *regnum Dei possidebunt* (1. Cor. 6, 10).

Multis in S. Scripturae locis nos de hac re admonet Spiritus Sanctus: *Luxuriosa res, vinum* (Prov. 20, 1). *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria* (Eph. 5, 18). *Cui vae? cujus patri vae? cui rixae? cui foveae? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? Nonne his, qui commorantur in vino, et* STUDENT *calicibus epotandis? Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus: ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber et sicut regulus venena diffundet. Oculi tui videbunt extraneas, et cor tuum loquetur perversa. Et eris sicut dormiens in medio mari, et quasi sopitus gubernator, amisso clavo* (Prov. 23, 29, sqq.).

Omnes quidem non solum in abusu vini, sed et aliorum potuum et liquorum, sibi invigilent, ii vero maxime qui ad servandam continentiam, ut sunt juvenes, sacerdotes, reli-

giosi, caelibatu aut voto tenentur. *Venter mero aestuans,* ait S. Hieronymus, *despumat in libidinem.* Si quis ergo, in missionibus praesertim, vino aut liquoribus intemperanter, dimissa mortificatione, abuteretur, quibus forte suspicionibus, quantumvis injustis, ansam praebere posset? E contra ille qui omnino sobrium et mortificatum se exhibet, facile, non solum apud laicos, sed et apud sacerdotes, ut vir sanctus, ut vir orationis, ut vir Dei habetur. Quanta inde aedificatio et robur ad salutem animarum! Quanta inde et aestimatio toti Ordini religioso conciliatur! Non spiritus vini et liquorum, sed Spiritus Sancti virtute et unctione, quae per humilem et piam cum Deo communicationem obtinetur, sermo Dei vivus fit et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti. Vires necessarias prosequere, non autem blandire sensualitati, quae quantopere perfectionis et aedificationis inimica sit, dici vix potest. Hic, servata mensura, cum Paulo dicendum. *Multi enim ambulant, quos saepe dicebam vobis (nunc autem et flens dico) inimicos crucis Christi : quorum finis interitus : quorum deus venter est : et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Nostra autem conversatio in caelis est* (Eph. 3, 18, sqq.).

Tertia, *circa obsonia* (scilicet circa fercula

cujuscumque generis studiose ad excitandum appetitum parata) *servari debet maxima et maxime integra abstinentia, quia tam appetitus ad inordinationem (excedendum modum), quam tentatio ad investigandum (ad excogitandas et quaerendas lautitias) promptiores sunt in hac parte; itaque abstinentia in cibis, ad inordinationem vitandam, potest adhiberi duobus modis : primo, cum (quis) assuescat manducare cibos grossiores; altero, si sint delicati, (sumat) in parva quantitate.*

Non loquitur S. P. de peccato, sed de inordinatione; eodem prorsus modo ac in prima Annotatione, ubi priorem Exercitiorum finem descripsit : *praeparare et disponere animam ad tollendas a se omnes affectiones inordinatas.* Si enim radix peccatorum tollatur, et fructus, quae peccata sunt, tollentur. Modus ille radicalis est, et solus vere efficax.

Maxima abstinentia, scil. major quam circa omnes alios cibos; et *maxime integra,* quibus verbis omnino stringentibus prohibet S. P. quidquid mensuram illam excedit, quae a Fundamento, quoad usum creaturarum, posita est : *utendum illis esse, tantum quantum ipsum juvent,* non ad delectationem gustus, sed *ad finem suum,* scilicet finem salutis animae suae, *et tantum se ab illis expedire, quantum ad finem illum suum impediunt.* Hoc est verba im-

plere divi Pauli : *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis : omnia in Dei gloriam facite* (1 Cor. 10, 31). Qui eousque mortificationem exercebit, nihil profecto eum in prosecutione perfectionis impedire amplius poterit. Quot enim sunt inter pios homines qui castitate, obedientia, humilitate, labore, suis victoriis emicant, vincuntur autem adhuc lautitiarum illecebris!

Duos modos vincendae in cibis inordinationis, sive quoad quantitatem, sive quoad delectationem, proponit S. P. Primus est cibis grossioribus edendis assuefieri : ex assuetis non fit passio. Praeterea cum in tales cibos non feratur appetitus, facilius erit pro mensura habere solam necessitatem et abstinere a delectatione. Secundus est, ut, cum cibi delicati apponuntur, sumantur in parva quantitate, in quo magna procul dubio victoria est. Quam opposita illa sunt iis quae passim inter ipsos fiunt Christianos! Investigant, ut ait S. P., excogitant et quaerunt lautitias, nedum delectationi obsistant; anhelant ad lautiora prandia, a quibus viri vere spirituales abhorrent.

Quarta, *cavendo ne incidat in infirmitatem, quanto quis plus subtraxerit de convenienti (victu), tanto citius perveniet ad medium quod servare de-*

bet in manducando et bibendo; (idque) ob duas rationes : primo, quia sic adjuvans sese ac se disponens, saepe magis sentiet internas cognitiones, consolationes et divinas inspirationes, quibus ostendatur sibi medium, quod sibi conveniat; secundo, (quia) si persona videat se in tali abstinentia, nec tantis viribus corporis, nec dispositione, (quae sufficiant vel aptum conservent) ad Exercitia spiritualia (peragenda), facile perveniet ad judicandum quid magis conveniat sustentationi corporis.

Hic S. P. et de cibo et de potu *(in manducando et bibendo)* simul tractat, ac novum se regendi modum suggerit, non jam quoad qualitatem, sed quoad quantitatem. Cum prudentiae virtus virtutes omnes dirigere debeat, sapienter praemonet : *cavendo ne incidat in infirmitatem.* Sicut enim gulae indulgere vetitum est, ita nec licet aut sibi notabilem infirmitatem generare, aut se per nimiam debilitatem ad praescripta officia adimplenda imparem reddere : media ad finem.

Quanto quis plus subtraxerit de convenienti : scilicet *de convenienti existimato.* Nam *verum conveniens* per substractiones, de quibus hic agitur, unusquisque inveniet : *quibus ostendatur medium quod sibi conveniet.* Diximus *existimato;* vix enim non semper, sive ex appetitu, sive ex blanda tentatione quisque necessarium sibi

credit, non solum quod necessarium non est, sed quod est nocivum. Plures, juxta proverbium, gula occidit quam gladius. Si in rebus nummariis optabilis est additio, plerumque in edendo et bibendo potior est subtractio. Non paucos nihilominus invenias qui, fractis per labores viribus, ex optima intentione existimantes fore ut carnium et vini copia se melius habeant, vires tum corporis, tum animi labefactent. Cum igitur tot in hac re illusiones sint pertimescendae, merito dicit S. Pater : *quo plus quis subtraxerit de convenienti... ut sentiat quid sibi* vere *conveniat,* scilicet *medium* abstinentiam nimiam inter et excessum cibi et potus.

Duplici autem ratione hujus subtractionis utilitatem probat : nimirum 1°, *quia sic adjuvans sese,* per naturae mortificationem, et vim sibi generose inferens, *ac se disponens,* ut lumen caelitus accipiat, *saepe magis sentiet,* tangente eum Spiritu Dei, *internas cognitiones,* tum vanitatis et vilitatis, tum periculi similium animalium delectationum; *consolationes* quibus corporis mortificationes solet Deus magnifice remunerari, *et divinas inspirationes,* quae ad amandam, optandam et quaerendam crucem semper impellunt; *quibus ostendatur sibi medium, quod sibi conveniat.* Illa a parte Dei;

ratio altera ex propria experientia eruitur : nimirum 2°, *(quia) si persona* talis, (dico talis, scilicet non qualiscumque, sed quae ita generose semper subtrahit ; nam ea sincere quaerit quid sumendum sit ad Dei gloriam, neque facile sibi fucum faciet), si, inquam, talis *videat se in tali abstinentia, nec tantis viribus corporis, nec dispositione (quae sufficiant, vel aptum conservent) ad Exercitia spiritualia,* vel sua in vita ordinaria officia *(peragenda), facile* (scil. illa personas talis) *perveniet ad judicandum* (quia non blanditur sibi et ratione ducitur) *quid magis* (ad majorem Dei gloriam) *conveniat sustentationi* (non satisfactioni) corporis. Dixit S. P. : *nec tantis viribus,* quod pertinet ad corpus in se, ut non in notabilem incurrat quis infirmitatem ; *nec dispositione,* quod ad animum refertur. Eae enim vires quae ad sustentandum corpus per se sufficient, saepe duris sive mentis, sive vocis, sive corporis laboribus exantlandis erunt omnino impares, ac notabilis vel capitis, vel corporis infirmitas propter excedentem vires fatigationem incurretur.

Expositis quae ad quantitatem et qualitatem cibi et potus spectant, in duabus sequentibus regulis, practicam methodum ac veluti systema tradit S. P. circa modum edendi et bibendi Christiano homine dignum, quoad ea

quae sibi ad Dei gloriam convenire intellexit exercitans.

Quinta regula transfert ad modum edendi et bibendi imitationem Christi, cui in secunda hebdomada insistere constituit exercitans : *Tempore quo quis cibum sumit, consideret ac si videat Christum Dominum nostrum cibum sumentem cum suis Apostolis, et quomodo bibat, et quomodo respiciat, et quomodo loquatur, et curet eum imitari, ita ut praecipue intellectus occupetur in consideratione Domini nostri, et minus in sustentatione corporis, ut ita capiat majorem methodum, et ordinem circa modum, quo se habere et gubernare debeat.*

Paucis hic verbis non pauca perstringuntur. Ut ab actu tam animali et a tam humili operatione ad alta et divina animum extollas, vult S. P. ut te cum Christo Domino inter Apostolos mensae accumbere effingas, neque hoc quasi perfunctorie facias, sed per vividam, ac si reipsa videres, repraesentationem. Ideo non tantum dicit : *consideret,* sed addit : *ac si videat,* quae vivida repraesentatio ad optatum finem est necessaria. Praesentia enim illa subito animum percellit, eumque ita commovet, ut statim a cibo et potu abstrahat ac totum hominem ad regulas de victu quasi necessario componat. In tribus Christus imi-

tabilis exhibetur, quae omnino distincte ac seorsim consideranda, terna repetitione vocis *quomodo,* indicantur : 1. *Quomodo bibat.* Cur et non quomodo manducet? primo quia per se ex dictis hoc intelligitur; secundo, quia in potu maxime latet inordinationis periculum. Quot inter pios etiam homines, quot sacerdotes, quot religiosi modico vino, modico liquore uterentur, si praesentem ac videntem haberent Jesum! Quam sobrii essent et quam moderate biberent, si quantum bibit Jesus, et eodem modo atque ipse, ipsi biberent. Potus, vinum praesertim et liquores, solvit animos atque oculos liberiores efficit; ideo S. P. addit : 2. *Quomodo respiciat.* Quot laqueis saepius in conviviis, ubi praesertim diversi sexus personae adsunt, oculi irretiuntur! Vide oculorum Jesu modestiam, atque in hac agnosce altioris ac divini sensus significationem. 3. *Quomodo loquatur.* Pauca ac sensata verba, amabilia tamen, profert Christus. Quam longe abest a scurrilibus, a praeposteris facetiis, a molli adulatione, a pungentibus verbis, a propria laude, a sapidis acuminibus, a detractione et irrisionibus! Jucundus est, quia amat; non effusus, quia in Deo est. Quam saepe inter potandum multa dicuntur, quae taceri oportebat! Inde proverbium : In vino veritas.

Effectus illius Christi praesentiae duo a S. P. assignantur, quorum alter alterum confirmat. 1. Mens in consideratione Christi Domini praecipue occupabitur; *praecipue,* quia contemplationis non est hic locus, nec solus attendendus est Christus, sed et Apostoli, scilicet convivae. Charitas duplex objectum habet, Deum et proximum. 2. Eo ipso quod Christum considerabit et imitabitur, *minus* in sustentatione corporis intellectus occupabitur. Moderato utitur S. P. verbo : *minus,* nam ad impossibile nemo tenetur; dein etiam humano modo, sine singularitate et sine sinisteritate, est hic procedendum.

Ita ut capiat majorem (perfectissima hic continentur) *methodum* spiritualem, et externum *ordinem circa modum, quo se habere et gubernare debeat.* Verbis *se habere,* modesta, honesta, non sublimis, non affectata, non mollis se tenendi ratio innuitur; voce autem *gubernare,* tota ratio edendi, bibendi, loquendi, respiciendi, gestus faciendi, etc. resumitur, atque integrum exprimitur hominis in se imperium, de quo in regula septima.

Sexta regula novam praecedenti methodum in eumdem finem superaddit. Sic sonat : *Alias, dum cibum sumit, potest aliam considerationem adhibere, vel de vita Sanctorum, vel de pia*

aliqua contemplatione, vel de aliquo negotio spirituali, quod sibi agendum sit : nota finem perfectissimum a S. P. hic intentum, *quia attentione defixus in re tali, minus* (nam sine gratia extraordinaria ulterius iri non potest) *sumet delectationis* (in qua latet inordinationis periculum) *et sensus in cibo corporali.* Quam longe ab hac methodo absunt, qui in laudando vino, in laudandis epulis inter convivandum occupantur!

Septima, *super omnia caveat ne sit totus animus suus intentus in id quod comedit, neque in comedendo sit festinus prae appetitu, sed sit dominus sui, tam in modo comedendi, quam in quantitate quam sumit.*

Super omnia ; « Merito S. P., ait R. P. Root-
» haan, hac utitur emphasi : *Super omnia.* Id
» enim praecipuum est, id est super omnia
» cavendum, ne animus se effundat, sed sit
» dominus sui, nunquam sui impotens. Idem-
» que in omni affectione praecipuum est, quo
» eniti per assiduam vigilantiam suique vic-
» toriam quisque virtutis cultor debet. »

Super omnia, scilicet, etiamsi praecedentibus regulis non fieret satis, hoc ad minimum servetur : secus enim non uni aut alteri inordinationi, sed omnibus in hoc genere inordinationibus janua late aperiretur. Ideo S. P.

ait, non animus, sed *totus* animus; verba autem *in id quod comedit,* si ad animum referantur, ignobilitatem et, ut ita dicam, animalitatem rei quasi ob oculos ponunt.

Neque in comedendo sit festinus prae appetitu. Festinatio enim plerumque inordinationem prodit. Dico *plerumque;* nam si festinat quis ut citius res finiatur, quod sanitati non mediocriter officit, non erit hic casus. Ideo sapienter additur : *prae appetitu;* nam in hoc inordinatio habetur.

Sed sit dominus sui tam in modo quam in quantitate. Dominus autem erit sui, si solam rationem, et nulla ex parte appetitum, qui nobis cum bestiis est communis, sequatur. Quantum dignitate inter se differunt duo religiosi convivali mensae simul accumbentes, quorum unus in cibos exquisitos et bona vina quasi se laetus effundit, alter vero, dominus sui, nullis coactionibus cedit, ac lente et magna cum moderatione et gravitate, ea tantum ex appositis sumit quae Deo et sibi vere convenientia videantur. Hic velut sobrius inter ebrios, in omnibus sive aspectibus, sive verbis, sive gestibus, tum sibi, tum Ordini suo magnam conciliabit venerationem et auctoritatem. De tali solet dici : vix manducat et bibit; in labore autem impiger est et indefessus.

Ast dominus sui in mensa, et consequenter in ceteris non erit ille, qui non sibi, vincendo seipsum, mortuus fuerit, ut, juxta finem suum, soli Deo ejusque gloriae vivat. Si autem ita mortuus fuerit, cum sit ad omnia quae non sunt Deus aut ad Deum non tendunt indifferens, illa fruetur aequabilitate, quae perfectam omnium inordinationum exterminationem sequitur, et veri hominis, quatenus homo creatura rationabilis est, nomen parit, et nominis honorem.

Octava, *ad tollendam (omnem) inordinationem (circa victum), multum juvat, post prandium, vel post cenam, vel alia hora qua non sentiat appetitum comedendi, determinare secum pro prandio vel cena proxime futura, et ita consequenter quotidie, quantitatem quam conveniat sumere, ultra quam neque ob appetitum quemcumque, neque ob tentationem (ullam) procedat; sed immo, ad magis vincendum omnem appetitum inordinatum, et tentationem inimici, si tentatur ad plus comedendum, comedat minus.*

Eximiam, quam R. P. Roothaan hic subjecit, notam transcribimus : « Regula mirae » sapientiae, et ad omnem affectionem ordi- » nandam utilissima. 1°, *Tempore tranquillo* » *praevidere* occasionem, qua inordinatio faci- » lius possit accidere; — 2°, in antecessum

» *statuere quid* in ea occasione agendum sit,
» ne tentationi succumbamus, scilicet propo-
» nere tentationi contraria; — 3°, quod si in
» occasione dein constituti acrius tentemur,
» etiam *plus agere* contra illam quam *quod*
» prius *constitueramus*. Hoc scilicet est, non
» solum *resistere* inimico, sed illum etiam *pro-*
» *sternere,* ut loquitur S. P. annot. 13, inter 20.
» Hoc est agere contra sensualitatem, quod
» item plus est quam *resistere*. »

Notemus iterum S. Patrem nullibi in istarum regularum decursu loqui de peccato, sed semper de inordinatione; ad radicem enim tendit, qua exterminata, mala omnia exterminantur. Dolorem quidem, eumque profundissimum de peccatis ante commissis in prima excitat hebdomada; sed ad vitanda in posterum peccata, non timore, sed ratione, fide et charitate exercitantem mavult moveri : inde multo majora et perfectiora petit et obtinet, quam si de peccatis, ad normam moralis Theologiae, egisset. Haec consona insuper magis sunt iis quae in 5ª annot. de animo magno et liberali conscripsit.

Pro prandio vel cena proxime futura, et ita consequenter quotidie. Cur non dicit *in posterum,* sed *pro... proxime futura?* 1. Quia quod hodie, attenta valetudine et laboribus aliisque cir-

cumstantiis, convenit, forte post aliquod temporis spatium, jam non erit conveniens. 2. Quia pro una tantum refectione proponere minus arduum est. 3. Quia variantibus occasionibus et circumstantiis, variabunt et media. 4. Quia, repetitis quotidie ictibus, sicut in examine particulari, fervor fovetur et acuitur.

EXPLICIT TOMUS TERTIUS

ERRATA

Errata	Corrige
p. 6, l. 1, num (dele)	
p. 22, l. 21, numquam (adde) . .	esse
p. 37, l. 14, prosequeretur . . .	prosequerentur
p. 56, l. 17, quem	quam
p. 62, l. 24, integrae	integra
p. 119, l. 16, *omnibus* (dele) . . .	
p. 135, l. 12, illum inativae . . .	illuminativae
p. 140, l. 5, extases	exstases
p. 142, l. 9, Caenae	Cenae
p. 145, l. 27, coenam.	cenam
p. 160, l. 4, *additur*.	additur
p. 161, l. 6, intentebantur. . . .	intendebantur
p. 233, l. 4, abhorrere	abhorreret
p. 250, l. 14, uon	non
p. 253, l. 12, fugiunt.	fugiant
p. 267, l. 7, coeli.	caeli
p. 269, l. 10, tacbeat	tacebat
p. 289, l. 1, consedente	concedente
» l. 5, quod (dele)	
p. 298, l. 23, 24, mundi, partes . .	mundi partes
p. 305, l. 23, *curiosus*, ...	*curiosus.*
p. 321, l. 16, 17, lamentalibus . .	lamentabilibus
p. 328, l. 28, quidem.	autem

Errata	Corrige
p. 361, l. 14, Christus (dele) . . .	
» l. 26, 27, magnum ac rotundum.	magnam ac rotundam
p. 403, l. ult., venien.	veniens
p. 411, l. ult., exercitans (adde) . .	ani-
p. 414, l. 16, quantenus	quatenus
p. 424, l. 24, substractiones . . .	subtractiones
p. 426, l. 11, personas	persona

ELENCHUS

Tomi tertii

pag.

De tribus modis humilitatis 1
Praeambulum ad electionem faciendam 43
Consideratio de ipsis statibus eligendis. 54
Tria ad eligendum tempora 67
De reformatione vitae. 123

PARS TERTIA

Tertia Hebdomada

Praenotanda 135
Modus contemplandi in 3ª hebdomada 145

Prima dies

Contemplatio de Cena ultima 170
» de Eucharistiae institutione 179
» de Sermone post Cenam. 192
Colloquium Christi cum Patre. 213

Secunda dies

Contemplatio de Mysteriis in Horto peractis 219
» de agonia Christi 236
» de Christo comprehenso 244

Tertia dies

Contemplatio de Christo ad Annam ducto. 254
» de actis in domo Caïphae 263
» de actis in illa nocte 271

Quarta dies

Contemplatio de condemnato Jesu a Concilio 279
» de actis primo apud Pilatum 292
» de Jesu coram Herode 302

Quinta dies

Contemplatio de Christo Barabbae postposito 309
» de Jesu flagellis caeso 319
» de Jesu spinis coronato 327

Sexta dies

Contemplatio de Jesu coram populo 337
» de Christo comprehenso ad supplicium . . . 345
» de itinere ad Calvariam 352

Septima dies

Contemplatio de Jesu crucifixo. 358
Contemplationes de Jesu in cruce 366

Octava dies

Contemplatio coram mortuo Jesu 385
» de Mysteriis post mortem Christi 391
» de Christi sepultura 403

Nona dies

Clausula tertiae Hebdomadae 411
Regulae ad victum temperandum 415

Mechliniæ, Imp. L. & A. Godenne.